




SOCIUS
DE
PURGAND















Mr Brulier · 12 s

Socio nobile est
le nom de l'auteur —
Les Sermoni d'Esto
de Grasso à Venise
en 1558 —

Je n'ai pu savoir
ce qu'il voulait dire.
Salodiensis



# DE TEMPORIBVS ET MODIS RECTE PVRGANDI IN MORBIS,

Tractatus elegans iuxtà ac doctus, summéque ad Hippocratis, Galeni, Auicennæ, & cæterorum Medicorum scripta intelligenda necessarius,

NOBILI SOCIO SALODIENSI *Medico autore,*

Nunc primùm in lucem editus, cum Indice plenissimo.




LVGDVNI,
Apud Sebastianũ Barptolomæi Honorati,
M. D. LV.



# HIERONYMVS FANTONVS LIBERAlium artiū cultor, Nobili Socio Philoſopho, ac Medico S. P. D.



VVM ad me delatum fuerit opus tuum de arte medica compoſitum, egregium ſanè, plurimique faciendum, utpote per quod cæteri medicorum tempeſtate noſtra praxim exercentium, qui antehac hallucinati fuerint, atque cæcutientes, à recta medendi methodo fermè prorſus alieni diſceſſerint, in ueriſsimam artis Apollineæ cognitionē deducti, queāt humani generis ægritudinibus obuiam ire, non ſumma tantùm cum honeſtate, uerùm etiā ineffabili eorundem emolumento, quemadmodum & pater meus Franciſcus Fantonus artis medicæ theoremata

*accuratißimè speculatus, ac in operibus eiusdem exercitatus, iamdudum me per literas de huiuscemodi omnibus monitum faciens, apprimè testatus est.* Non potuit Calliope *mea uersiculis infrà adiectis elucubrationes tuas non decorare, pro comperto quidem habens easdem excellentiori præconio celebrandas: sed saltem certò sciens sese detecturam immortales incredibilis in te amoris uel potius obseruantiæ notas.* Vale, *& me, ut soles, ama.*

*Quisquis auet medicã dignoscere peruigil artẽ,*
*Hunc legat, omnigena doctus abibit ope.*
*Nobilis hic Socius vacuandi corpora normam*
*Edocuit verè. Nobilis ergo fuit.*



# IOANNI BAPTISTAE MONTANO VERONENSI EMINENTISSIMO MEDICO, ET PHILOSOPHO,

*Nobilis Socius Salodiensis Medicus* S. P. D.



CRIPSI olim quum plusculum otij nactus fuissem, quibúsnam morbi tēporibus, quibúsve medicamentorum modis, humana corpora rectè vacuarentur. Res quę in arte medendi quā maximè necessaria mihi semper visa est. Quam sanè elucubrationem quum æneis typis excudere constituissem, illam sub tuo nomine

multis de causis in lucẽ emittendam curaui. Tibi enim meritò debetur, qui medicorum omniũ, quos nostra tulit ætas, Princeps sis, & habearis: atque ad id studij me semper adhortatus fueris. Spero etiam fore, vt hac mea breui Commentatione permoti quàm plurimi desinant posthac prauis medicorum sectis adhæresce-re, & hanc meam vacuandi rationem approbare incipiant, quod fortasse hactenus recusarunt. Nã haudquaquã vereor illam à generosis medicis non summopere collaudari, quum tu eam acerrimo iudicio, & diligenti censura adprobaueris. Cape itaque meum hoc munusculum, qualecunque illud sit: est enim ab animo tibi deditissimo profectũ, & meam erga te mirificam voluntatem lubens amplectere: Valeas, & Deus Maximus tibi cuncta fortunet.

NOB



# NOBILIS

## SOCIVS SALODIENSIS MEDICVS, VERITATIS CVLTORIBVS.





QVIBVS morbi temporibus, & quibus medicamẽtorum modis, per aluũ vacuare cõueniat noxios ſuccos, diſcutiendũ proponitur. Nec ab re, quum ex plenitudine affectibus condecenter exhibita euacuatio non modicum ſanationi ſuppeditet auxiliũ. quippe Quicunque morbi ex repletione fiunt, curat euacuatio. Verùm niſi ea perficiatur congruè, nemo ſanæ mentis ignorat eandem longè maximum detrimentum mortalibus parituram. Neque hoc dubium ceu recentiſsimũ, pertractari cenſendũ eſt. Fuit nanque antiqua ſanè de hoc controuerſia, & hodie diſsident inter ſe omnes. Adeò vt id negotij à quàm pluribus pertractatum perperam, in cauſa fuerit, quòd æuo

Hippo. 2. Apho. 22. ext. a. c. 15. E.

Gal. 2. metho. 7 cla a. c. 9. C.

nostro nõ pauci à recta medendi methodo reddantur alieni, præcipitésque in hominũ pernicies ferantur. Quippe qualis quisque præceptori primùm inciderit, talis euasit, nihil præstolatus ab aliis didicisse. Verùm cùm de re medica disceptatio sit, quæ experientiam, & rationem pro potissimis iudicandi instrumentis admittit, nunquã profectò censuerim eam superuacua, vanáve materia egere, quemadmodum obscuræ, dubiæque, de quibus si quis velit dicere, necesse est materia, argumẽtóve, siue hypothesi vtatur, quemadmodum qui de sublimibus, vel sub terra positis rebus disserit: qui & si sciat, aut se scire dicat, quemadmodum habeat, tamen nec qui dicit, nec qui audiunt, liquidò sciunt, sint necne vera. nam quò se referat non habet, quo ea confirmet, verúmque sciat, quod in medidica arte non est. nam omnia priscis temporibus inuenta sunt, principiúmque & via monstratur, qua alia inueniantur, multóque iam tempore inuenta cognoscantur, probentúrve, posthácque inueniantur, si quis quæ inuenta sunt, satis cognoscat, hísque commotus, & concitatus, alia perquirat. Si quis autem hæc non admittens, cũctáque reprobans, modo alio perquirat, fallitur, fallitq;, & falletur. Optima igitur

Gal. 1. de nat. fac. 1. cl. 228. A.

Hippo. de pris. med.

igitur inter medicas cæteras hæc accuratiſsima laudi dabitur examinatio, medicæ nanq; per cunctas morbi ætates, quo frugi ita conducibiliſsimũ adiutorium fiat, adaperient frequentia. Quo ſi ſufficere quidem videantur omnibus ſuis partibus, & numeris, doctrina ſit abſoluta. ſin minus complurium quidem,& vtilium certè ope, alius,atq; alius quod reliquum, inuenerit. Interim oratos habere velim omnes, qui in horum commẽtariorum lectionem inciderint,vt pruritum, ſolicitudinẽ, vel inſaniam,quam de ſectis conceperunt,deponant:deinde ſic vt probos viros decet,dicẽdorum ſeriem conſiderent. Nam minimè latet quòd adeo qui ſectis eiuſmodi ſunt addicti, non ſolùm nihil norunt recti,ſed nec diſcere quidem dignantur : cùm ceruicoſiſsimorum profectò non minimum ſit ſectarum affectus: Citius enim Moyſi aſſeclæ, & Chriſti, diſcedent à ſua diſciplina, quàm qui ſectis ſunt addicti, & conſecrati, medici, & philoſophi. Quicunque igitur eſt non fictè cognoſcendæ amore veritatis captus, ad me accedat, euidenter omnia, ſi modò integris illæſiſque ſenſibus præditus fuerit, in ipſis animantibus inſpecturus. Faciliori nanque quo dabitur modo, iſta omnia exponam : compa-

Gal.de di gno. pul. 4.cl.37.H

Gal. 3. de loc.affe.4 cla.15.D.

Gal. I. de nat. fa. I. cl. 286. E.

Gal.de di gno. pul. 4.cl.61.D

Gal. 2. de Hip.& Pl. De.I. cla. 232.D.

Gal. 2. in 1. de mor. vul. 3. cla. 104. C.

rans me non ad prorſus imperitos tantùm, neque ſolùm ad eos qui multum profecerunt, nam omnibus erit hic ſermo mediocriter accommodatus. Atque ipſius hic erit ſcopus vt authorum ſparſim deſcripta, eſto aliam ad rem prolata ſint, & hinc & illinc ex ipſis decerpta, pro viribus aduniente me, connectentéque vt in ſequenti continuata lectione decernam, quaſi ex illorum verbis totus fermè cõficiatur ſermo. reſcriptione iſtiuſmodi cùm breuitatem ex ſtudio inſectari profeſſus, tum pro virili aufugiſſe tædium, quod aſſequi haud ambigeretur ob reſcriptionem locorum, qui ex priſcis frequenter adiecti ſunt. Erunt itaque quæ deſcribentur non mea plerunque, ſed priſcorum monumenta, verùm non tanquam illorum, ſed vt propria legentur. Et nullo modo ad margines plectendum eſt, penſandúmve, niſi quis vnde illa tranſcripta ſint, in propatulo ei fieri concupierit. Fortaſsis ergo ad rem pertineat, (tametſi non prædixerim) me de Hippocratis mente hoc loco diſſerturum, vel ſummatim de ea perſtringere, fuerit verò quod dicemus, non minus & priſcorum ſenſus interpretatio: hos nanque viros ceu nullius adhuc dogmatum ſectæ

Gal. 4. me tho. 7. cla. 26. H.

addi

addictos, sed pura, & simplici mente studentes, vtile quippiam ad sanitatem inuenire, credibile sanè est quædam vsu, quædam inuenisse ratione, tum scripsisse quæ inuenerant. Proinde omnes qui veram Asclepiadum artem insequimur, vobis senioribus, qui hæc magna cura inuestigastis referimus acceptum, si quid nos inuenimus boni, non inuenturi certè, nisi ad vestra scripta (qui glaciem secuistis, & viam nobis ad ea aperuistis) meditati fuissemus. Ego quidem neque in Hippocratis solùm scriptis, sed in omnibus antiquorum libris obseruo, vt non temerè quæ quisque ipsorum dixerit, approbem, sed experientia, & ratione, verúmne, an falsum sit, quod scripserunt, examino, at qui se vnius aut seruos, aut libertinos addixerunt, simul atque ab eo scriptum aliquod inuenerunt, inconsideratè, ac temerè credunt. Et quoniam quicunque aliis permiserunt, vt de seipsis ferrent sententiam, ac iudicarent qualesnam sint, hos in paucissimis aberrare solitos animaduerti, at quicunque seipsos esse optimos æstimarũt, nec aliis iudicium sui ipsorum facere permiserunt, hos contrà & in maximis rebus, & in plurimis, offendentes inspexi. Ideò vobis potissimè

Gal. de di gno. pulf. 4. cl. 56. D

Gal. 2. In 6. de mor. vul. 3. cla. 157. G.

Gal. de co. cur. ani. morib. 2. cla. 48. A.

optimis veritatis cultoribus, hoſce nexus æqua præmeditantis animi lance penſitandos relinquo. Nam ſi dandos indignis ſciuiſſem, ne amicis quidem ipſos præbuiſſem: voco autem indignos, quicunque malo ſunt animo, nec libros, vt diſcant legunt, ſed vt quempiam inde calumnientur. Vos igitur omnia emendate, emundatéque, illud memoria tenentes, & me qui dico, & vos qui iudices auditis, humana preditos eſſe natura. Difficile enim eſt, vt qui homo ſit, non in multis peccet, quædam videlicet penitus ignorãdo, quædam verò malè iudicando, & quædam tandem negligentius ſcriptis tradendo. Inde hæc etiam atque etiam hilari à vobis perlegantur animo, ſæpiúſque non obliqua examinentur mẽte, quàm rata, conſtánſq; de eis feratur ſententia. Cæterùm quòd nullam dictionem, quæ ijs quæ nobis dicta ſunt contraria ſit, volentes præteriuimus, maximè vtique credibile fiet huic, qui ad ipſos libros legendos acceſſerit, atque ea gratia indicamus, nos tum in quo libro æger de quocunque tandem nobis ſingulatim diſſerentibus ſermo contingit, ſcriptus eſt, & tum quotus eſt à principio, aut à conſtitutione numerandi exordio facto, vt ne quis cunctetur ob hæc, & circa inuentio-

Galen. de præco. ad poſthu. 4. cl. 219. G.

Gal. 9. de Hipoc. & Pla. De. I. cla. 182. C

Gal. 2. de cõp. med. loc. 5. cla. 138. H.

Gal. 2. de dif. reſp. 3. cl. 65. G.

uentionem pigreſcat, atque aut citra experimentum nobis credat, quod minimè expetimus, aut nos ſuſpectos habeat, tanquam qui perperam adſcribamus, quod multi expoſitores fecerũt: verùm illi propterea libros ſilent, & volentes celant, ex quibus ſingulatim adſcribunt dictiones, nos verò non ipſos libros ſolùm, ſed & locos, ac capita indicamus, quò quiſque quod velit, faciliùs reperire queat. Scimus enim quòd firmiorem fidem habebunt eorum, quæ dicimus qui totum libri locum legerunt, ex quo dictionem adſcribimus. Hæc autem indicia ita ſelecta, quum ex nobiliſsima noſtri temporis impreſsione ſint, vel in lineis propriorum verſuum tractatus, vel margini appoſitis notis, prout ſatius æſtimabitur, aſsignabuntur, ſub eiſdem reſcriptorum narrationes demonſtrantes etiam in locis propriis, qui cæteris formulis, verſionibúſque accommodati ſunt, ne quis nos furti argueret fortaſſe. Poſtremò, ne hac in re capeſſenda ob dicendi modum noſtrum (vt & ijs ipſis ſeruauimus) impedimentum offendat, iterum atque iterum admonitos eſſe volumus omnes, ad quorum manus hæc aggregata peruenerint, vt eorum lectionem ad finem vſque continuent, &

author

authorũ ſcriptiones quas pro noſtris vſurpauimus, perinde ac ſi verba noſtra eſſent, percurrant, pro conſtanti habito, quòd potuiſſemus aliis orationum modis eos authorum ſenſus expromere, dehinc & vnde illos decerpſimus, loca citaſſe, non attamen actum id eſt potiſsimum, quòd ſuſpectæ intelligentiæ non vacarent crimine, prolixitatíſque, ac tædij, aliiſque eiuſcemodi obiectionibus demum. Sic igitur eas proprio ſenſui accommodare placuit, tum ob prædicta, tum vt vberior & operi ipſi, & veritati inde ſequatur vtilitas. Porrò amor ſit, abſit inuidia, conuitiúmque ab his, quum talia conantur, ſic enim nos quidem amantius ad locos huiuſmodi progrediemur: vos verò perpetuò beneuolentiam in omnia ſecula habebitis, ipſámque in eius generis rem, non inuidam, ſed virtutem.

Galen. aſ. an. ani. ſit quod in vter. I. 39. H.

Vale-
te.

DE

# DE TEMPORIBVS ET MODIS RECTE' PVRGANDI, IN MORBIS,

## Nobili Socio Salodiensi Medico Authore.

### PRIOR SECTIO.



DIGNVM profectò diligenti medici examine est, quod proponitur dubium. Num in morborum principiis, accrementis, summísque vigoribus, medicamēto aluum ducente materiam morbi vacuare cōueniat, an eorum decrementum expectare necesse sit, tempúsve reliquum, quod consumptis affectibus accedit. Quod vt euidentius innotescat, multiplices dictionum sensus primitus distinguere optimum fore diudicatum est: cùm satis sciam, quòd communia nomina, quæ alterum nō magis, quàm alterum significāt, auditores confundunt, & Gal. 1. de diff. resp. 3. cl. 55 F.

pert

perturbant, vt non cognoſcatur quid ſit tandem quod dicitur, priuſquàm æquiuocum diſtinguatur: Nam hoc vtique pacto tum profectum in rebus inueniri, tum veritatem authoribus adſcribi continget.

Gal. 4. in acut. 7. cl. 136. A.
Gal. 1. in 1. pret. 4. cla. 167. B

Et quod ſæpius dicere ſolitus, quòd ſcilicet obſcura lectio nihil doceat, id & nunc dicam. Siquidem nos, qui intelligimus, dictioni, quæ rationem admittere poteſt, veritatem accommodare oportet, aut temporis plurimum conterere: quatenus enim ſingulis dictionibus ab authore acceptis veritas accommodanda nobis eſt, eatenus iuuamen quoddam à nobis dictioni accedit, periclitanti ne videatur vitioſa, cæterùm nihil ab ea docemur.

Gal. 1. in acut. 7. cl. 108. C.
Gal. 1. de criſ. 4. cl. 127. D.

Atque vt quoad detur, ambiguitas tollatur omnis, ſæpius nonnulla adiicere, quæ vulgus non nouit, erit opus, & multa quæ huic nota ſunt, auferre, ſi nihil ad finem artis conferre videantur. Ex primi de criſibus igitur ſerie, hæc: Has autem quatuor partes quidam vniuerſæ ægritudinis tempora appellant, eandem autem ob cauſam tempora vocant vniuerſalia, vt quæ à particularibus differant, in quæ ſingulæ acceſsiones diuiduntur. Firmamus morbi principium, cæteráque eiuſmodi tempora, in propo-
ſito

ſito duobus reſpectibus deſcribi poſſe, nã vel vt vniuerſalem reſpiciunt ægritudinem, vel vt ad partiales opponuntur acceſſiones. Veluti & ipſe Auicenna reliquit. Auic. 2. I. doct. j. c. 7

Et hæ quidem horæ quandoque attenduntur ſecundum ægritudinem à principio eius vſque ad finem eius in ſuis paroxyſmis, & vocantur horę vniuerſales, quãdoque conſiderantur ſecundum vnumquẽque paroxyſmum, & vocantur horæ particulares. Et de ſecundo hoc ſectionis membro (vt quàm breuiſsimè dicatur) ita ſcribendum eſt: Paroxyſmorum horas, temporáve, ſic diſcrimine duplici diſsidere, quemadmodum & ægritudinum naturæ dupliciter differunt, quandoquidem aut intermittentes, aut inſeparabiliter affligentes, morbi reperiantur. Intermittentes enim illas febres propriè appellãt, quæ à vigore integritatem quandam pręſtant. At inſeparabiliter affligentes morbi nominantur, qui continuis infeſtant excruciatibus. Horúmque quoſdam de numero deponentium eſſe, videlicet qui aliã, ac aliam pro varia materiæ natura ſortiti periodum excreſcunt, decreſcúntque, & quoſdam alios adeò pertinaciter adhærentes, vt minimè exacerbationem diminuant, priuſquam illi metæ vltimum at- Gal. j. in j. de mor. vul. 3. cla. 103. B.

tigerint. Harum igitur paſsionum tempora plurimum eſſe diuerſa, multiplicíque nomenclatura ſignari, cenſendum eſt. at quum hæc Galenus in de morborum temporibus tractatu accuratè tradiderit, neque præſentis negotij propoſitum interuenerit, vt diſtinctionis eorum vniuerſa exaretur vis, ſilentio pertranſire non abſonum exiſtimabitur. Quin ad intenta progredientes dicimus, Quòd qualis res ætatum differentia animantibus eſt, talis morborum tempora. Itaque totius morbi tempora ſimiliter ac animantium ætates conſideramus: vnum quidem, & princeps, generationi eorum attribuitur, alterum aſcenſui ſeu incremento: tertium vigori, quartum declinationi, quum ægri ſani futuri ſunt. Primum autem morbi tempus quod principium dicitur, trifariàm accipitur ex priſcorum medicorum conſenſu, præſertim primo oraculorum libro, Galeno ad hunc ſanè modum inſigniter edocente. Morbi nanque principium intelligi volumus, vt in Commentariis de criſibus manifeſtauimus, & primum eius inſultum, quod nullam habere latitudinem dicitur, & id quod eſt, ſicut pars totius morbi, quando in principium diuiditur, augm

Galen. de morb. tẽpori. 3. cl. 83. B.

Galen. de toti. mor. tempo. 3. cla. 86. B.

Gale. 1. aphor. 12. ext. 6. A.

augmentum, & tempus consistendi, & declinationem, & aliud quod vsque ad tertium extenditur diem. Atqui sæpius hac de re aliàs itidem, esto postremam principij significantiam quoque ad quartum vsque diem protelari memoriæ monumentis relictum sit, contextu hoc: Nempe principij nomen indicat quidem & primum morbi ingressum, insultúmque, indicátque & eum, qui secundum latitudinem ad tertium vsque, vel quartum extenditur diem, indicátque præterea primum morbi tempus, quum morbum in quatuor diuidentes tempora constare ex principio, incremento, statu, & declinatione, pronuntiamus. Insuper & Princeps ait: De hominibus quidem sunt qui dicunt quòd principium ægritudinis ex quo numeratur computatio dierum crisis est extremitas horæ in qua sentit æger vestigium ægritudinis, & de hominibus sunt, qui dicunt non, imò extremitas horæ in qua seipsum proiicit, & apparet in eo nocumentum operationis. Sed rei huius autori Galeno plenior fides adhibeatur. Nam morbi initium tempus illud ipsis putandum est, quum manifestò febricitare incipientes decubuerint. Atque, quum primùm æger ipse

Galen. in I. pro. 4. cla. 265. D.

Auic. 2. 4. tracta. 2. cap. 3.

Gale. 3. de dic. dec. 4 cl. 149. D

Gal. 2. de die. dec. 4 cl. 153. D.

manifestò sensit morbum sic eum inuadentem, vt præsentem quempiam medicum de hoc consulere desiderarit. Verùm principium acceptum pro imperceptibili primogenio insultu, quo præsenti momento morbus infestat, & antehac minimè afficiebat, rarissimum penes medicorum principes adinueniri est, sæpius autem pro primis tribus, quatuórve diebus, prout verò ab aliis discrepat temporibus frequentissimum ab omnibus vsurpatur (vtpote principaliori innitens significationi,) abundéque, quod traditum est à Galeno nobis intueri licet in primo de crisibus libro, & inferiùs adnotante. Dicamus illud prius ad memoriam reuocantes, quod in reliquo sermone, qui sequitur duo principij significata, prætermittentes, & primi insultus, qui sine latitudine est, & alterum primæ accessionis, de solo tertio differemus, videlicet cruditatis, nam & huius artificiosa quædam cognitio, & plurimum ostendere natura aptum est. Et omnes quidem hucusque consentiunt, quomodo autem iudicare, atque distinguere huiusmodi tempora oporteat, non etiam in hoc omnes inuicem cõcordant, sed nonnulli quidem si anticipent, aut subsequantur accessiones consider

Gale. 1. de cris. 4. cl. 130. B.

Gal. 1. de cris. 4 cl. 127. E.

ſiderant, hi verò ad earum longitudinem reſpiciunt, alij ad magnitudiuem, quam etiam vehementiam nominant, quidam & hæc ipſa, remiſsiones prætereà conſiderant, deinceps inuicem altercantur, cùm liceat quæ diximus omnia coniungere. Igitur hæc vniuerſalia morbi tempora ex morbis ipſis coniecturari oportet, quantum extendi debeant, deinde ex anni temporibus, & circuituum proportione, & prçter hæc omnia ex pòſt apparentibus, ex quibus prima, & præcipua, ſunt ſigna coctionis. Nunquid igitur pluſquàm erat opportunum à nobis eſt dictum, aut aliquid ab Hippocrate prætermiſſum, vbi docet quo pacto quiſpiam ex circuitibus inueniat ægritudinis incrementum, ait enim acceſsiones eſſe inuicem conferendas. Deinde & Princeps relatione ſymptomatum magnitudinem reſpiciente, hiſce verbis præſcripta tempora palam fecit. Et hora principij eſt tempus, in quo ægritudo apparet, & eius ſimilantur diſpoſitiones, nec apparet in ea augmentum eius. & hora augmenti eſt tempus, in quo ægritudinis magnificatur conſtrictio omni hora poſt horam. & hora ſtatus eſt hora, in qua ægritudo in omnibus ſuis partibus ſecundum vnam

Gale. ſup. 130. C.

Gale. ſup. 127. H.

Aui. j. 2. 1. doct. 1. c. 7.

manet diſpoſitionem. & hora declinationis, eſt tempus, in quo eius apparet diminutio, & quantum plus procedit, eius minoratio eſt magis manifeſta. Verùm concoctionis notas reſpiciens ſic aliâs ediſſerit. Et principium quidem eſt hora, in qua calor naturalis præfocatur à materia ſubmerſa in membro, tamdiu donec non appareat maturationi, aut diuerſitati eius contrariæ maturationi veſtigium. & augmentum quidem, eſt hora in qua commouetur caliditas innata ad reſiſtendum materiei motu manifeſto, & apparent ſigna digeſtionis, aut ſigna contraria digeſtioni. & ſtatus, eſt hora in qua vehemens eſt pugna inter naturam, & materiam, & apparet victoria vnius ambarum earum ſuper aliam. & declinatio quidem eſt hora, in qua calor innatus iam dominatur materiei, & vicit eam, & exiſtit in congregationis eius ſeparatione, ſcilicet rei poſt rem. His cognata ex Galeno ſequenti ſubſcribuntur contextu, videlicet, Quæ ex humore citra inflammationem proficiſcitur humorum moleſtantium cruditatis tempus principium ponendum eſt, vbi concoqui cœperint initium finiri, ſecundum autem tempus quod

Auic.j.4. tracta.j. cap.4.

Gal.de.to ti.mor.tẽ por.3.cla. 86.F.

quod ascensum nominant accedere, at quum ipsa concoctio maximè conficitur, vigor: inde rursus declinatio, qua quidem & symptomatum magnitudo, & humorum copia cessauit, restat verò in ea modicum humorum adhuc qui concoctionem requirant. Sed animaduersione perdignum sit, plurimum vsu venire symptomatum tempora coctionis temporibus coæua fieri, nonnunquàm verò dissentire. nam sæpenumero symptomatum ætates, & coctionis tempora, perpensantes, principij, augmentique, casus accidunt atrociores, quum in statu mitiores sint, multotiens & aliter sese habet, scribente Hippocrate. Continua quibusdam incipiens florescit, maximéque viget, ac ad difficilius, periculosiúsve deducit, circa verò decretorium, & cum decretorio, minuitur. Quibusdam verò leniter incipit, superaddit, & augetur, circa decretorium, & cum decretorio satis lucet, feruétq;. Quibusdam quum leniter incipit, superaddit, & grauat, quúmque aliquantisper viguerit, relaxat decretorium vsque, & circa decretorium: Atque hæc dum exponit Galenus habet: Hos tres modos illum quidem febribus cõtinuis tribuere censent, nõ attendentes

Hippo. 7. epid. sect. 3.

Gale. 3. in 7. de mor. vulga. 3. cla. 116. H

quæ in orationis ſuæ ſcripſit fine, vſu veniunt hæc,& accidunt omni in febre, & in omni morbo: proinde non iam ſolarum continuarum, ſed omnium etiam aliarum febrium, quæ continuæ non ſunt, & diuturnæ, imò verò cuiuſuis etiam morbi acuti certè ſimul & prolixi, eoſdem modos eſſe confirmat. Verùm recta ratione,& vt plerunque ſymptomata ſunt, Circa initia, & fines, omnia imbecilliora; quum verò conſiſtunt fortiora. Ad quam ſententiam redire cenſendum eſt (vt verum ſit) quod Galenus primo de criſibus commentus eſt, quum de ea Hippocratis meminerit ſententia, veluti & ab ipſo hoc etiam ſcriptionibus mandatum eſt. Nam ſæpius affectio ipſa qua laborant, mitior quidem exiſtit,ſed ſymptomata augentur, vt in phlegmone obſeſsis particulis, quo ipſe inquit modo, quum pus conficitur, tunc dolores, & febres fiunt magis,quàm quum factum fuerit. Sæpius autem mutuis exultant incrementis,diminutionibúſq; ſymptomatum magnitudines, & ea, quæ affectionis eſt. Perſpiciendum nihilominus in huiuſmodi eſt,ſæpenumerò Galenum,Principémque,tradidiſſe veras morborum ætates in his,qui ſaluari debent ægrotis coctionis

Hip. 2. aphor. 30. ext.

Gale. 1. de criſ. 4. cla. 129.

Gale. 3. in acut. 7. cl. 133.

ſignis diſtingui, aut cruditatis notis in deploratis. Sed vt à ſeruandis auſpicemur, tanquam à meliori, ſciendum eſt in proprio morbi principio concoctionem quidem celebrari, verùm ob ingentem materiæ repuguantis impetum, imbecillitatémque cõcoquentıs naturæ, exiguam, ideóque nobis abſtruſam, & apprimè delitеſcentem, ſed in augmento naturam concoquentem apertiùs operari, proindéque tunc temporis coctionem nobis clariorem eluceſcere: bináque eiuſcemodi tempora mutuò diſgregari, per immanifeſtum, aut manifeſtum coctionis indicium, quod præſertim alba reſidens in lotio nebula, vel ſuperficie tenus natans, conſpicuò exiſtit. Quibus & adſtipulatur Galenus ſic edocens: Manifeſtum ſignum coctionis (ſic autem appello ea, quæ inter debilia ſunt, & perfectæ coctionis indicia) perfecta igitur coctio eſt, quando in vrinis ſubſederit aliquod album, lene, & æquale, & continuum. Debilis autem coctio eſt, quando ex aquoſa mediocriter ſubpallida facta fuerit, & quidem ſi turbulenta apparuerit, & talis permanſerit, hæc quoque occultæ, & debilis coctionis eſt ſignum, & rufa etiam, ac tenuis, ex eodem genere eſt,

Gale. I. de criſ. 4. cla. 134.

ſed nihil horum iam principium eſſe finitum oſtendit, hoc enim manifeſtius indicium ſemper expetit, vel ſolùm nebulam albam, aut ſuſpenſionem æqualem, continuam, atque albam. Et equidem rubens nebula, & ſubſidentia talis, & ſine ſubſidentia bene colorata vrina, & craſsitudine mediocris, principij finem manifeſtat. Et de cæteris cuiuslibet temporis peculiaribus notis ibidem, & aliis in libris, latiſsimè pertractandum eſt. iccircóque Princeps ita recenſuit, Quúmque dicimus horam principij, & horam augmenti, non volumus intelligi duo extrema, in quibus ægritudinis non manifeſtetur diſpoſitio, ſed vnumquodque eorum habet, tempus perceptum ſenſu, quod proprium habet indicium. Augmentum autem à ſtatu differt, quod augmenti coctiones à natura ſubinde paulatim perfectiores euadant: Exquiſita verò coctio fit tempore ſtatus. Proindéque tunc abſolutæ maturioris materiei notæ diluceſcũt, in declinatione verò quod ſuperſtitit, quod dam minimum concoquitur, ideóque in ea perfectiſsimæ coctionis ex apparentibus indiciis materiei morbificæ quantitates iam diminuuntur: quod & vrinarum

Auic. j. I. doct. j. c. 7

Galc. 3. de criſ. 4. cl. 142. G

hyp

hypostases minores subsidere continuò videantur, vniuersæq; naturales excretiones proportionatos totius declinationis gradus pariformiter assequantur. qua de re cõtextui de totius morbi temporibus suprà citato rectissimè subiunctum est, Indicauimus in opere de iudiciis & notas vniuersas cruditatis, & coctionis obscuræ, & euidentis, & perfectæ. Sed quibusuis morbi temporibus tum quædam inest cruditas, tum quædam efficitur materiæ concoctio, quò fit, vt ab earum alterius dominatione vel crudus, vel coctus, cognominetur morbus. qua de re rectissimè asseritur, Coctum igitur, & incoctum, nomine quidem sunt vnum, sicuti & genere, plurimum verò in eo, quod magis, & minus, differentiam habent. & quæ illis assequuntur cætera: Igitur morbus in toto sui principio, licet in eo modica, víxque sensibilis, conficiatur coctio, vsquequaque nuncupatur crudus, quando in eo cruditates dominentur abundè, nec actionis eius effectus sit euidentior. Coctus autem in augmento refertur principij comparatione, sed summi vigoris ratione non coctus. in statu quoque, in eiúsque postremo potissimùm, augmenti respectu per-

Galen. de toti. mor. tempo. 3. cla. 86. F.

Gale. 1. de cris. 4. cl. 131. D

cocti

cocti exquisitè, nomenclaturam accipit, quanuis tunc materiei portiuncula in declinationis tempore concoquenda superfit. Sed vbi ad declinationis terminum peruentum est, absoluta dicitur ægritudinis concoctio. I'dque notionis genus diiudicamus esse artificiosam temporum coniecturam, cuius primo de crisibus tractatu Galenus meminit, & penes quam augmento principium, augmentúmque vigori, necnon vigor declinationi plurimum in apostematibus inter medendum commiscetur: & in febribus itidem, cæterísque morbis salubribus eadem describatur proportio, nam in ipsis quoque ab vltima cruditate ad occultam quandam coctionem, exinde postmodum ad dilucescentem, subinde verò ad perfectam, & denique ad exquisitissimam, admissis mediis comparatam, itur. iccirco nobis compertum sit, antedictorum temporum vnumquodque principio, medio, & fine, veluti tribus segminibus in quæ eorum singulum diuiditur omnino complecti, Galeno sic attestante: At hoc etiam in primo principij tempore, & secundo inæqualitatis, ad hæc tertio ascensus, seu incrementi adest. Siquidem vnicuique horum dum sensibiliter immutatur, par-

Galen. de mor. tēp. 3.d 84.E.

ticularis quædam eſt differentia, nam cuiuſque temporis principium fini omnino non eſt ſimilis. differunt autem inuicem, & à medio tempore manifeſtè principium acceſsionis paululum à naturali conſtitutione receſsit, ſicut finis plurimum. vbi verò hæc maximis differentiis mutuò diſſenſerunt, medium planè tempus ipſorum aliquod eſt, magis quidem ac principium à naturali ſtatu remotum, minus autem, quàm finis. hoc modo inæqualitatis etiam initium à cohærente ipſi primi temporis fini, & tertio principij cognitum eſt, eadem opinor ratione, & quæ ſecundi huius temporis inęqualitatis principiis cohærent, tertij temporis conſtitutionem illis aſsimilem obtinent. ſimiliter etiã tertij ipſius temporis rurſum prima à ſecundi poſtremis parum euariant, poſtremo verò ſtatus ſpeciei quodammodo ſimilia ſunt, medium amborum æquè ab vtriſque extremis receſsit. quapropter miri nihil eſt, ſi vt hîc temporibus ſingulis, ita declinationi quoque aliud principium, aliud finis, aliud medium exiſtat.

Et alibi etiam, Etenim circa principia, & fines, omnia imbecilliora ſunt, in vigore fortiora, quæ hæc intercedunt medio ordine conſiſtunt, quia initio vicina

Galen. de toti. mor. tempo. 3. cla. 87. H.

vigori propinquis imbecilliora ſunt, ſicuti etiam fini contigua: quæ verò æquè à principio, & vigore, abſunt, mediam vtriuſque ſummitatis fortitudinem obtinēt. Pari modo, quæ à vigore, & fine æquè recedunt, media & hæc propriorum ſummorum ſunt. Nec abſonum à vero, vel admiratione dignum eſt, eam cōcoctionem abſque temporis interuallo ſubinde, ſucceſsiué ve, coaleſcere: quoniam vis concoctrix citra vllam horarū intercapedinem (vtpote quæ naturalis ſit) elaborat, vt quodcunque ſibi propoſitum eſt, ſuopte ingenio commutet obiectum. Equidem naturales facultates omnes ſemper neceſſariis ſibi operibus vacant: & nunquàm torpent, aut negligentes ſunt. Potentia verò coctrice minimè ſimul totam tranſmutante materiam (ſiquidem naturalis actio non in totum æqualiter aduenit) obiectum, ſcribente Galeno ita: Monſtratum nanque ſuprà eſt, nihil in contrariam qualitatem totum ſimul migrare. Materiales portiones, heterogeneáſque euidentiùs concoqui ſubinde conſcribimus, ita vt prior hæc, illa poſterior, alteretur, tantiſper dum vel omnino, vel ferè tota concocta fuerit materia. Quomodo autem hæ coctiones perficiantur, ita

Gal. j. de diff. reſp. 3. cla. 58. D.

Gale. 3. de nat. fa. I. cl. 297. D

ita differendum eſt: Tu ergo animum ad me conuerte, Quum facultates vt ſcis quatuor ſint, atque inter eas non minimè valeat alteratrix, per quam diſpenſatis ab ea corporibus natura alimentum aſsimilat, coctio nũcupatur nutrituræ ſubſtantiæ permutatio ſecundum qualitatem exiſtens. Et hæc omnino contingit natura id, quod commutat vincente. Accidit autem, vt ei pro obiecto vel nutrientia, vel iam decocti, verùm poſtmodum alterati occurrant ſucci, & illa quæ in nutrientibus eſt coctio, mutatio eſt in propriam eius quod nutritur qualitatem: hócque pacto à Galeno repetitum eſt. At Hippocratica, ſimul Ariſtotelicáque ſunt, nec minus illa, concoctionem alterationem quandam eſſe, ac nutrientis in propriam qualitatem eius, quod nutritur, mutationem. Quæ verò intemperatorum ſuccorũ eſt coctio, verius naturæ cõpotis victoria nũcupatur. Vbi enim natura ſuperior euaſit, & debellauit, & reſtitit vehementiori morbi conatui, & quę infeſtabãt oppreſsit hoc enimeſt ipſa cõcoctio. Inter antedictas autẽ cõcoctiones primitus cõuenit, quòd ab alteratrice facultate vel nutrientia, vel humores praui cõmutentur, & ab ipſa cõuincantur natura. Sed diſconuenit quòd nut

Gale. 4 in acu. 7. cla. 139. H.

Gale. 3. de na. fa. I. cl. 296. F

Gale. 2. de nat. fa. I. cl. 291. A.

Gale. 3 de criſ. 4. cl. 142. H.

nutrientium materia ſuperatur verè, ſuccorum autem non penitus. Etenim quũ tres in animalium corpore fiant alterationes. Vna planè ſecundum naturam eſt, quum videlicet in ventre cibus concoquitur, aut in viſceribus, & vaſis, qui inibi generatur ſuccus, vnde rurſus pars vnaquæq; nnutriatur. altera contra planè præter naturam, nempe in putreſcentibus omnibus atque hæ quodammodo inuicem ſibi contrariæ ſunt. tertia ex vtraque miſta, & media eſt, partim huius contrariæ, quæ eſt præter naturam. ſiquidem alterationi ſecuudum naturam duo hæc inſunt, vt & ex familiari animantis natura fiat alteratio, & ab ingenito calore planè ſuperetur. ei verò quæ præter naturam eſt, & ab aliena caliditate mutatio prouenit, & ad nihil vtile. at media earum, quæ ſcilicet ſuppurationes comitatur, ab ingenito quidẽ fit calore, ſed non planè vincente: neq; enim ex materia peragitur, quæ prorſum benigna ſit, neque tamen ex omnino aliena. Conueniunt & vtræque, quòd à calore naturali prodeunt. nanque Hippocrates ſemper innatum calorem omniũ naturalium operum autorem eſſe ait, Plato non calorem, ſed ignem nominat. Etenim protenſa eſt per ſolida corpora natura, quæ illorum

Gale. 5. de ſimp. medi. fac. 5. cla. 34. F.

Gal. 8. de Hippo. & Pla. dec. 1 cl. 274. B. Gale. 2. in 1. de mor. vul. 3. cla. 128. E.

rum

rum est virtus, concoctionémque à solidis corporibus sanis humores consequuntur. Proinde Galenus aliâs inquit: Quum à nobis concessum, & suprà ostensum sit, ingenitum calorem omnium in corpore cõcoctionum præcipuum esse opificem. Sic tamen, tanquam à calido fiat, non sicco, squalentíque, cuiusmodi est febrilis, sed ab humido, vaporosóque, cuiusmodi est, qui in animalibus secundum naturam existit. Nec de deteriori decoctione igitur in febribus cũ Erasistrato sentiendũ, cùm in febribus deteriorem esse concoctionẽ dicat, nec tamen sicut priores censuerunt, propterea quòd naturalis caloris mediocritas corrũpitur, sed quia vẽtriculus hos amplecti, & terere similiter nõ valet, quòd eius læsa sit actio: Et in isto hæc perpẽdenda sunt sensu, vt fiunt coctiones natura causas noxias superante, ita nõ superante contraria: Atque hæc, Quũ itaq; inflammatione carent, & naturam esse prævalidã, & sanguinem à venis effusum cõcocturam, & in pus conuersuram esse indicant. quum verò inflammata sunt membra, ex eo infirmitatẽ naturæ arguunt, quæ tum ex imbecillitate partium inflammatarum, tum ex copia praui humoris, qui in eis cõtinetur, sugillatum cõcoquere, atque in pus producere

Gale. 4. in 6. de mor. vul. 3. cla. 175. C.

Gale. 2. in acut. 7. cl. 119. E.

Gale. 2. de fac. nat. 1. cla. 293. E.

Gale. 3. in 1. de mor. vul. 3. cla. 108. E.

Gale. 2. in 1. de fract. 7. cla. 231. E.

non poteſt. Conſimilia & pleraque ſicuti ſecundo in primum de morbis vulgaribus libro, & primo in librum de fracturis Commentario, atque hæc: Porro autem vnum ex naturalibus operibus eſt ea, quæ in pus fit conuerſio, nam & illic quædam perficitur coctio. Atque Auicennæ hæc: Et calor quidem innatus eſt ille qui humores naturales tuetur, ne eis caliditates extraneæ dominentur. Calor nanque innatus quum eſt fortis, poteſt natura ipſo mediante in humoribus miniſtrare ſecundum modum maturandi, & digerendi, & cuſtodire eos ſecundum ſanitatem, & mouentur humores ſecundum modum miniſtrationis ipſius, & prohibentur moueri ſecundum modum miniſtrationis caloris extranei, quare non putrefiunt. Sed quum calor iſte eſt debilis, fatigatur natura, & à regimine humorum abſtinet, propter inſtrumenti debilitatem, quoniam inter ipſam, & humores, eſt medium, & ſtat, & calor extraneus inuenit ipſum non occupatum in regimine. comprehenduntur ergo ab eo, & facit eos obedientes, & motu extraneo ipſos mouet, & accidit putrefactio. Calor igitur innatus virtutum omnium eſt inſtrumentum. Et de quamplurimis ſatis

Gale. 5. de ſimp. me. fac. 5. cla. 36. E.

Auic. 2. 1. do. cap. 3.

tis ſint hæc collectanea. Diſcrepant autem quòd quæ nutrientium à calore duntaxat natiuo proficiſcitur, ſed quæ ſuccorum ab hoc quidem, præternaturali attamen coagente miſtim. Idéoque hæc ipſa (licet ſatis prolixa ſint) ex Galeno ſcribantur. Humorum autem putredo quæ in vaſis fit, ſimilis eſt ei, quæ in inflammationibus, atque abſceſsibus accidit, aliiſque collectionibus, duplex quidem ſecundum genus, ex duorum autem generum miſcela alia tertia ſecundum ſpeciem euariat, quoniam innumerabiles miſcelæ modi in eo quod magis, & minus, reperiuntur. & duorum generum alterum quidem fit ſuperante natura, alterum verò ſuperata. & ſuperante quidem, ſicut in inflammationibus, & ſimilibus collectioni tumoribus omnibus pus, in humoribus autem, qui in venis, atque arteriis, cõtinentur, quoddam quod puri proportione reſpondet ſubſidens in vrinis. at talis quidem putredo non ſimpliciter quidem putredo exiſtit, ſed aliquid in ſe continet coctionis: nam adhuc vi concoquendi vaſorum remanente, qui interim putrefit humor, ad talem peruenit alterationem. ſed alterum eſt putredinis genus, quum ea vis, cui coquendi officium eſt

Gale. 1. de diff. feb. 3. cla. 33. F.

demandatum, adeò imbecillis facta est, vt nullam amplius facere posit in putrescente superfluitate ad optimum transmutationem, quodquidem vsu contingit nonnunquàm, quum eadem vis ad vltimum imbecillitatis peruenerit, etiam si quod putrescit, mediocriter sit vitiatum. at fieri potest interdum, vt vis quidẽ ipsa non omnino sit imbecillis, humor verò putrescens maximè sit vitiatus, huius superfluitatis putredo neque consistere, neque aut colorem, aut odorem habet vnum: sed semper secundum substantiam permutatur, ac multis modis euariat illud, quod putrescit. altera autem putrefactio, quam & coctionem esse diximus, semper ad vnam puris speciem terminatur, colorémque, ac consistentiam suscipit, & odorem. Superante verò integrè ipsa natura, optimum fit pus, cõspectu album, & crassum, & quaque versum sibi simile, lene autem tangenti, & minimè fœtidum. Si verò semiputridum fuerit, tertium in tali transmutatione genus quod paulò antè diximus, fit. Sed de putredine, quæ deuicta natura gignitur, ac de ea quæ media est, sermo non habebitur. ea nanque videtur putredo ex materia quidem gigni humida, ex causa verò efficiente extraneo, &

Gale. 3. in 3. de mor. vul. 3. cla. 134. E.

præ

præter naturam calore.quippe Calor ex- Gale. ſup.
traneus putredinis autor humorũ eſt,nam 136. G.
materia quidem humiditas eſt, cauſa effi-
ciens calor præter naturam. Verùm de pu-
tredine quæ ſuperante natura procreatur,
eſto & inibi aduentitius concurrat calor,
& quam ſanè pus, ſaniémve, peculiariter
appellare liceat, verba fecit non in citata
duntaxat quinti libri de ſimplicium me-
dicamentorum facultatibus ſerie, ſed in-
feriori etiam cõtextu reliquit: Pus ex ſan- Gale. 2.
guine ortum habet, qui ſemimalam vt Apho. 42.
quiſpiam dixerit habet tranſmutationem, Ext. 19. E.
nam mala ſimpliciter cum putrefactione
fit olida, ſicuti quæ ſimpliciter optima eſt
ipſa nutritio partium animalis: at quæ pus
generat, medium inter has obtinet lo-
cum, neque à ſolo calore extra naturam,
neque à ſolo ſecundum naturam facta.
Talis igitur ſanguis, ad exiguas diſperſus Gale. 1. in
partes in locis inflammatione affectis, vt- prog. vlt.
pote extra propria conceptacula poſitus, 4. cla. 199.
non inſuper remeare ad antiquam natu- B.
ram poteſt. mutatur verò, ac putreſcit,
quomodo omnia quæcunque in alieno lo-
co vehementius calefiunt. Si igitur na-
tiuus calor de propria exorbitat tempe-
rie plurimum, vt in corpore inanimi pu-
treſcit ſanguis. ſi verò vim ſeruet quan-

dam, permista quædam cõmutatio de causa per naturam, & item præter naturam efficitur, siquidem causa naturalis concoquit: præter naturam putrefacit, vtra earũ magis exuperet. His aliud quoque germanum superadditur, vt ab vtrauis earum coctionum ad iuuatiuum reformetur portio, adeò vt propria particula queat ab ipso ali: nam de humoribus id cõmuniter sentitur, quòd siue illi naturales, vel extra naturam cõstituti sint, aliquod naturæ eiusce continere, vt dum natiuus calor magis, atque magis concoquit, nisi penitus à natura prolapsi sint, vnà cum sanguine alere posſint: quo fit, vt à naturali temperie non admodum aberrantes, materiei sanguineæ commisti data quædam connutriant membra. Quapropter quum de sanguine quòd ex iuuatiuis fit, dubitatio non cadat, Sanè hoc loco aduertere, & scire oportet, tánque ex bilis generibus aliud vtile, naturaléque in animantibus est, aliud inutile, & præter naturam, sic pituitæ quod dulce est id salutare esse animantibus, & naturale. Quod si ita est (vt re vera est) corpúsque pulmonis ali est necesse, non vt iecoris corpus limoso aliquo, & crasso alimento, sed tenui, leui,

Gale. 2. de fac. nat. 1. cla. 95. D.

Gale. 6. de vsu part. 1. cla. 148. E.

vaporoſo, apparent omnia mirabiliter ab animalium opifice cōſtructa. vnumquodque enim ſibi ſimili nutritur: quemadmodum id quoque demonſtrauimus. porro pulmonis corpus leue eſt, ac rarum, ac velut ex ſpuma quadam ſanguinis concreta conflatum, ob eámque cauſam puro ſanguine, & vaporoſo, ac tenui indiguit, non autem quomodo iecur, limoſo, & craſſo. Palámque eſt melancholicum humorem, dum ſanguis in hepate fit, fecis vinariæ proportione generari, expurgari autem à ſplene, qui ex eo naturaliter habet alimentum. Nam hoc ei natura officium dedit, vt melancholicum ſanguinem ex hepate ad ſeſe attrahat, quo ipſum ali iam demonſtratum eſt: Atque hoc a Galeno ſæpius traditum, & à Principe ſatis ſupérque p. p. do. 4. cap. p. repetitum eſt: Hácque materiei iuuantis coctione quicunque ſuccus propriam adeptus fuerit naturam, coctus exiſtit humor: quicunque verò ſucci peculiarem naturam non aſſumpſerit adhuc, crudi ſunt humores. Dico autem nunc cruditatem ſolam, non comprehendens hoc ſermone tardam coctionem, quòd ſi velis alimentum crudum permanens, & alterationem quæ fit à particula iuxta

Gal. 2. ar. cur. 7. cla. 107. D.

Gale. 6. de de loc. af. 4. cl. 36. A

Aui. 1. 1. do. 4. c. 1.

Gale. 8. de cōpo. me. loc. 5. cla. 201. D.

naturam non assumens, itidem crudum appellare, neque ego fugio appellationẽ, si mihi saltem differentia rerum conseruetur, prior enim est transmut?tio in peregrinam qualitatem iuxta caliditatem facta, moderatior verò ea est in qua alimentum suam naturam quàm diutissimè seruat, nulla alteratione ex particula quæ ad ipsum concoquendum à natura destinata est, suscepta, atqui & tertia præter has species est frustratæ concoctionis, quũ semicoctum sit alimentum: Nam quamuis cæterorum humorum comparatione, pituitosus humor incoctus, reliqui verò

Gale.2.de fac.nat.1. cla.294.E

supercocti ferantur. Quippe Frigidus ille succus, & humidus est, qui tum in senibus, tum his qui ratione quauis sunt perfrigerati, plurimus aceruatur, quem nemo mẽtis compos, aliud esse quippiam, quàm frigidum, & humidum dicat. Inde & alibi,

Gale. 2.in acu. 7.cla. 120.E.

Pituita verò temporis processu concoquitur, sanguísque efficitur, neutra bile in sanguinis substantiam redire valente, quum ex sanguine quidem plus calefacto flaua bilis generetur, ex eodem verò assato, adustóque, atque etiam crasso, atra, pituitæ autem generatio in pituitosis eduliis sanguinem perpetuò antecedit, atque generatione ipsius media cibi in sanguinem

nem transeunt, atque alibi: In naturalibus sermonibus rectè ostensum est, quòd sanguis ex moderato calore generatur, flaua autem bilis ex maiore, atra verò ex sufficienter immodico. Hos attamen humores omnes ille succus, qui propriè crudus chimus dicitur, à pituitáque seiungitur, antecedit. & propterea propter importunum, atque exuperantem cibum, copia plurima colligitur humoris crudi vocati in corporibus puerorum. Attamen humor pituitosus vt pituitosus, coctus est. biléſque vtræque quatenus biles, non supercoctæ, sed coctæ duntaxat feruntur. sanguis quoque inquantum sanguis, coctus est (licet & incoctus dici queat, quemadmodum & pituita, quum opus sit maiori decoctione, quò membra quæ aluntur, huiuscemodi succos assimilent) itidem & de cæteris humoribus asseratur. Discrimen tamen est quòd materiei iuuantis coctio vel in solis cibarijs, vel in humoribus fit, à calore natiuo magis, atque magis, agente perficiatur, verùm intemperatorum humorum coctio hæc secundum contrariam alterationem celebratur, ideóq;, Et aliorum contrarietas, quòd morbos curet, dixit Hippocrates: Humores equidem iam

Gal. 2. de cris. 4. cl. 140. B.

Gal. 2. in progn. in fine. 4. cl. 208. A.

Hipocr. 2. aph. 22. ext. 15. E.

peculiarem temperaturã adepti ab ea delabi poſſunt, rurſúſque ad ſuam ſymmetriam, naturalémque temperiem reuocari, intantum vt proprias particulas (veluti deſcriptum eſt) enutrire valeant. Concoctio enim naturalis maturatio eſt morbi, hæc autem in concoquendis deductio quædam eſt eius quod concoquitur. ergo vbi corpus bene habet, quúmque ei quod concoquitur naturæ intercedit familiaritas cum concoquente, mutatio fit, & alteratio totius concoquendæ materiæ, aut maximæ partis eius, minimúmque ſupereſt ſemicocti: aut verò quando præter naturam affecta ſunt, quod accidit, vbi ſunt à natura immutantis, aut alterantis aliena, id quod aſsimilatur paucum eſt, ſemicoctum autem excrementum multum.

Gale.2. in 1. de mor. vul.3. cla. 108 B.

Atqui de humoribus reliquis veluti de ſanguine dici eſt, de quo ita fertur, Quod enim in vinis aceſcentibus accidit, tale quiddam & in ſanguinis alteratione contingit. Quod autem in vinis accidit, tale eſt, vbi ex toto acida facta ſunt, nõ redeunt rurſus ad vini naturam, paruo autem in ipſis facto momento, ita vt acidum quidem habeant ſaporem, nõdum tamen acetum ſint, multa ſæpius ex his priſtinam

Galen. 2. aph.17. Ext.13.H.

natur

naturã recuperarunt. Hoc idem in ſanguine euenit, nam & ipſe vbi magna in eo ſit facta corruptio, non redit amplius ad habitum naturalem: Si verò paulatim fiat, vbi id quod ſuperfluum fuerit euacuatum, quod reſiduum exiſtit, ad ſuam naturam reſtituitur: Inſuper coctionis nomẽ commune eſt in vniuerſaliori ſua significatione & iuuatiui, & ſuccorum verſioni. Sed veriùs, propiúſque, materiei iuuantis alteratio coctio pronuntiatur, & deinceps ana logicè maturatio quoque eſt coctio, ſic aſſerente Galeno, Nempe bilioſa cruda ita appellauit quoniam & excremẽtorum coctionem appellat, quámque mutata nutrire non poſſunt, vt bilis vtraq;, & qui Græcè ἰχῶρες dicuntur, veruntamen quoniam & talia euincit natura, concocta quidem vocare conſueuit Hippocrates excrementa huiuſmodi, quæ à natura ipſa euicta ſunt, cruda verò, quæ non ſunt euicta, ob id & pus in phlegmonis, quæ coquuntur fieri ait, quãquam pars nulla ex phlegmone alimoniam accipiat, veluti accipit in crudis appellatis humoribus, & pituita, quæ reliquum perfectionis aſſecuta, & prorſus cocta, corpus nutrire poſſunt: ſic igitur bilioſorum humorum concoctio exiſtit, vt

Gal. 2. in acut. 7. c. 122. F.

ſanguis qui in phlegmone eſt in pus migrantis. Intelligentibus nobis coctioni nomen in ſuo vniuerſaliore ſignificato eſt autem vniuerſalius, quum natura cauſis fortior fuerit, permutaueritque eas ſuo robore. Quæ igitur veluti in animam carente corpore putreſcunt, nihil ad permutationem conferente innato calore, à concoctionis ratione degenerant, hoc ſanè contingit aquoſis his humiditatibus, quæ per vrinas excernuntur, atque ob id crudas vrinas concoqui dicimus, quanquàm corpus ex coctis vrinis ali non poſſit, generali præterea hoc coctionis ſignificato vtimur, quum vel catarrhum, vel corizam, vel fluentes ex his humiditates, vel eas quæ ex oculis manant, aut crudas, aut coctas, eſſe dicimus. Ad hunc modum & bilem vel crudam, vel incoctam, vel coctam eſſe pronuntiamus. cruda quidem flaua admodum eſt, & acris, & malè olens, cocta autem & pallidior, & minimum malè olens. Atque Auicenna reliquit, Digeſtiua verò eſt illa, quæ quod attractiua attraxit, & retinuit retentiua, in eſſentiam conuertit aptam virtutum in ea permutationem facientium operationi, & complexionem quæ conuerſioni nutrientis in effectu eſt competens. hæc

Auic. 1. 1. doct. 6. cap. 3.

eſt

ſt enim eius operatio in iuuatiuo, quæ vocatur digeſtio: Eius verò operatio in ſuperfluitatibus eſt, vt ſi poſsibile fuerit, eas in hanc mutet diſpoſitionem, quæ etiam vocatur digeſtio, aut vt earum egreſsionem à membro, in quo ſunt retentæ facilem efficiat cum expulſione, earum attenuando eſſentiam, ſi quod prohibet, fuerit groſsities, aut ingroſſando, ſi quod vetat fuerit tenuitas, aut incidendo, ſi quod prohibet, fuerit viſcoſitas. & hæc quidem operatio vocatur maturatio, eſt tamen quum digeſtio, & maturatio ſynonyma dicuntur. De græcæ igitur ſignificationis differẽtia inter alterationem, coctionem, digeſtionem, & præparationem, ad Auicennam non eſt, vt obiiciatur, quando ipſe ſuimet, quem intendit exponat affectum.

Cuius memores id agendum, vt quod à nobis ſemper eſt dictum de nominibus quamprimùm inter nos conueniat, ad res autem ipſas properemus, in híſque moremur. Verùm plerique eorum, qui ſibi doctrinam vendicant, contrà faciunt: litigando enim de nominibus totam vitam conterunt, quare ad finem artis attingere nũquam poſſunt. Quídnam igitur ſit agendum ei qui veritatis eſt ſtudioſus, nempe res ipſas, quæ inter ſe natura ſunt ſimiles,

Galen. de ſimpt. dif. 3. cla. 10. E

les, eò quòd minus aduertunt oſtendere, dehinc nomina his imponere potiſsimùm quidem (ſi potis eſt) quæ maximè ſunt in vſu, ſin hæc non nouit apta fingere. Et profectò quæcunque illarum ſit, quam tali protulit Auicenna ſcriptione, vel ita latinitati reddita, vnius naturalis facultatis earum quatuor eſt à Galeno de facultatibus naturalibus deſcriptarum, & quæ concoctrix ſoluit, nominari. itidem & reliquæ iam dictæ quocunque vti libuerit nomine, & de re hac obiter tanta ſint ſatis. His igitur clarum eſt, quænam naturæ ſit actio, deinceps verò & quid ars medica cõtempletur, dum materiæ coctionem, morbórumque rimatur maturationem. Semper enim ſuis natura viribus vtens, quicquid optimum fieri contigerit, his quæ aluntur partibus aſsimilare, quicquid verò alienum, conatur excernere : quòd ſi aliquando ob craſsitudinem, aut multitudinem, aut tenacitatem materiæ inutilis, aut aliquam meatuum obſtructionem, aut propter ſui imbecillitatem, totum quod eſt vitiatum, nequeat expellere, neceſſe eſt, vt id ſi diutius in animalis corpore perdurauerit, corrumpatur. Quocirca & Galenus aliàs ſcribit, Quippe ſolidarum animalis partium natura,

Gal. 2. de diff. feb. 3. cla. 38. H.

Galen. 9. meth. 7. cla. 58. D.

robor

roborata pertenuatos iam humores aggreditur, ita vt qui vtiles ſint, atque ad nutriendum habiles, hos quidem ad ſe trahat, inutiles vel per ventrem, vel per cutim, eijciat. Patebit igitur ex citatis contextibus naturam (modò potentior ſit) eſſe ſatagentem alterationum dictarum, ita vt quorumuis humorum omnia quæ pro nutrimento verti poſſunt, vt enutriant, demutet: quodcunque verò ſuperfluitatum penitus inutile fuerit, deuincat, tranſmutétque, alia concoctionis manerie. Proinde & de iudicij opere à Galeno dicebatur, Fit autem natura ſeparante à bonis mala, & ad excernendum præparante: Quum autem effectus hos eadem actione perficiat natura, & humores alterantur alteratione, Quæ putredinem finiat manente adhuc ſubſtantia, Et quæ alteratio Hippocratis ſcriptionibus conformis ad contrarias qualitates incedendo perficitur. Intelligas id clariùs, ſi non contrariorum contraria, ſed quemadmodum illis placet, oppoſita ſibi inuicem eſſe remedia dicas, ſiquidem copiam ſanat euacuatio, defectum nutrimenta: in ſumma, quod exuperat ablatio, quod deficiens eſt, adiectio. itaque etiam in alio opere rectè arbitror à ſene

Galen. 2. aph. 13. ext. 12. H.

Gal. 3. ar. med. cap. 89. Iſag. 70. G.

Galen. 11. meth. 7. cla. 71. G.

dictum,

dictum, Medicina appoſitio eſt, & detractio: deficientium quidem appoſitio, redundantium detractio. Porrò deficiunt, redundántque quædam in quantitate, quædam in qualitate. In quantitate, quum ſanguis immodicè eſt auctus, aut rurſum minor redditus. In qualitate, quum vel calidus, vel frigidus, vel craſſus, vel tenuis, plus iuſto, minúſve eſt effectus.

Gal. 2. de ſimp. medi. fac. 5. cla. 20. A.

Etenim quicquid curari debet, tanquàm quod ab immoderatione, ſeu ametria, ad commoderationem, ſeu ſymmetriam reducitur, non id, quod bene temperatum ſit, requirit, verùm id quod contrariam habet intemperaturam. Inde Auicenna, In electione autem qualitatis medicinæ abſolutè non habetur cognitio, niſi per cognitionem ſpeciei ægritudinis, quoniam quum ægritudinis qualitas ſcita fuerit, erit medicina eligenda, quæ in ſua qualitate eſt contraria, quoniam ægritudo ſuo medicatur contrario, & conſeruatur ſanitas à ſuo ſimili. Atque, Dicemus ergo, quòd malitiæ complexionis medicatio fit multis modis, complexionis nanque malitia aut erit infuſa, & erit eius medicatio ex contrario abſolutè, & hæc eſt medicatio abſolutè, aut erit in termino, vt ipſa generetur, & erit eius

Aui. 4. 1. cap. 1.

Cap. 2.

ſanat

ſanatio, ſanatio quæ fit cum præmiſsione ſeruationis prohibendo cauſam. Hac intercedente alteratione demum tum à bonis praui ſucci ſecernuntur, tum facili apparantur expulſioni. Nam ſcire oportet naturam haudquaquam quieſcere, ſed interdum cõtentos in corpore prauos humores ita aggredi, vt à bonis eos ſeparet, atque quouiſmodo excernat, vel ad eam quæ minus præcipua ſit, reiiciat partem. Siquidem oportet concoctionem præire, ſubſequi verò diſcretionem, & poſteà euacuationem, vt bona ſit criſis, ſiue iudicium: Quamobrem vel ad euacuationem quouis modo prouenientem ſanè terminatur, vel ad abſceſſus interdum (humoribus præcipuè concoctu difficilibus exiſtentibus) permutatur.

Gale. 4. in acut. 7. c L 139. E.

Gale. 4. aphor. 22. Ext. 30. G.

Quæcunque deinceps quæ in morbis fieri conſueuit euacuatio, eſt à corpore inſalubri materiei morbificæ eductio: & ea iuſtrumentis plurimis ſolita fieri eſt. Ea ſunt miſsio ſanguinis, & purgatio, tum per medicamenta, quæ ſubter expellunt, tum per ea, quæ ſupra, ſiue ea vomitoria dicere mauis: prætereà multa frictio, & omnis dimotio, itémque balneum, potiſsimùm quod ex aquis fit digerentibus, ſed & acria medicamenta illita per hali-

Galen. 14. metho. 7. cla. 89. F.

d tum

tum digerunt, omniáque vno verbo, quæ calefaciunt, & ſiccant, ex accidenti autem euacuare indicauimus, & cibi abſtinentiam, potiſsimùm vbi ambiens calet.
Gal.3.art. part. cap. 89. Iſag. 70.C. Et aliâs ab ipſo Galeno habetur, Euacuationes autem fiunt & per ſanguinis emiſſionem, & clyſteris vſum, & per vrinæ vias, atque eam, quæ per cutim fit ad partes oppoſitas attractionem, atque ad alias propinquas deriuationem. Nam & ad hoc genus pertinet citare menſtrua, atque ora venarum, quæ Græci hæmorrhoidas appellant, aperire, & per palatum, naréſque, expurgare. Melius igitur fortaſſe fuerit de omnibus euacuationibus, quas medici moliuntur circa ægrotantium corpora, ſermonem repetere:
Galen. 4. aphor. 2. Ext.28.C fiunt igitur hæ aliquando per medicamenta totum corpus expurgantia, & per vomitus, & per deiectiones, nonnunquàm verò medicina partis alicuius eſt euacuatiua, veluti quæcunque per palatum, & nares, à capite abducunt ſuperfluitates. è genere autem ſuperfluitates expurgantium ſunt, & quæ per tuſsim expurgant, quæcunque in pectore ſunt, atque pulmone, & quæ per vrinas abducunt totius ſanguinis ſeroſam ſuperfluitatem, clyſterem quoque ex hoc genere feceris, & quodcunque
aliq

aliquod totum corpus æqualiter euacuat, quemadmodum & venæ ſectio creditur euacuare,& omnino ſanguinis miſsio quę cunque, & quouis modo facta. Ex talibus autem eſt euacuationibus & quæ per vterum fit,& per ora venarum ſedis, ſiue per exercitia,& frictiones,& omnem motum, atque calorem,& balneas calidas, præſertim nitroſas,ſulphureas, & bituminoſas, & ex accidenti inedia: hæc ſiquidem omnia videntur totum æqualiter corpus euacuare. ſi quis tamen exactiùs perquiret, non æqualiter inuenietur euacuare. Multis igitur inſtrumentis eorum vnumquodq; compleri nuſquàm ambigendum eſt. Verùm animaduerſione dignum eſt, quòd licet priſci artis medicæ profeſſores quoduis medicamen quomodolibet extra corpus humores educẽs,euacuatiuũ cõmuni nomine appellauerint, antonomaſicè tamen duos hoſce modos,videlicet ſeceſſum,ac vomitũ,euacuationes appellauêre. Nam Galenus ſic ait,Primùm enim facultatẽ omnes purgatoriã in ore habẽt, haud tamen omnes perinde intelligũt, quia vocabulum duo ſignificat, alterum cõmune omnium,quæ quouis modo animalis excrementa expurgant. alterum verò quod per excellentiã de his tãtummodo dicitur.

Gale.5.de ſimp. me. fac.5. cla. 39.A.

quæ aut per vomitum, aut per ventris deiectionem, purgent. Propterea & veteri insertum est lectioni, quarti oraculorum primo Commentario, Quum alicubi Hippocrates pharmaciam dicat, intelligit quæ à superioribus vomitu, & ab inferioribus solutione mundificat. Atque septimæ vigesimoquinto, Dicimus, quod quum absolutè pharmaciam ponat, solutionem ventris, & vomitum, intendit. Venæ itaque sectio commune auxilium est earum, quæ ex plenitudine fiunt dispositionũ, purgatio verò, si quidem secundum genus inaudias, vnum quoddam auxiliorum existit, non tamen secundum speciem, nonnullis siquidem confert humores pituitosos euacuare, nonnullis verò amaram bilem, nonnullis atram, nonnullis serosam superfluitatem, secundum naturam earum, quæ consueuerunt superuenire, pasionum. Cæterùm, quibus hæc quisquã facere posit auxiliis ex dispositionibus ipsis sumendum. Nam si omnes perinde aucti humores fuerint, potisima ac maxima per venæ sectionem vacuatio est, dehinc frictiones, exercitationes, balneas atque inediam, ita quoq; vacuandum, si sanguis solus copia exuperauerit. sin flauæ, aut atræ bilis humor, aquo

Gal. 4. aphor. 1.

Gal. 7. apho. 25.

Galen. 6. aph. 47. Ext. 53. G.

Galen. de const. art. med. isago. 42. A.

cuatione quidem, ſed non ſimiliter agendum, nam quæ in primis venis ſunt excrementa deiectoriis, quæ in aliis per vrinas quidem aquoſa, ac tenuia, per purgationem autem biliosa expurganda, tenuia quoque deiectoriis euacues licet: quæ autem in toto ambitu tenuia ſunt, per ſudores, atque medicamenta, quæcunque cuti admota, ſiccandi natiuam vim habent, biliosa purgatione primùm, deinde cutis euacuatione, ſin pituitæ humor redundet, ſalſam purgare, acidam redditam alterare, opem naturæ ad eius coctionem ferentes, tentandum eſt, dulcis autem multò faciliùs etiam concoquitur. Sed quæcunque aliæ à propoſito hoc ſunt deiiciendæ, quum de eis, quæ per ſedem, & per medicamenta, fiunt purgationibus intendantur ſequentia. quæ attamen ſicuti & cæteræ euacuationes dupliciter contingunt, videlicet vel ſponte, vel artis auxilio. Quòd ſi ſponte fiant, aut ſymptomaticæ, aut criticæ dicuntur. nam quando aliquis incipit morbus, ſi quid excernitur, nihil tunc excernitur naturæ ratione, ſed ſunt omnia hæc caſus præter naturam earum, quæ ſunt in corpore diſpoſitionum, quo enim in tempore

Gal. 4. aphor. 22. Ext. 30. G.

cura grauatur, adest autem cruditas, tunc aliquid bene euacuari est impossibile. Ab arte autem factas euacuationes nuncupari medicinales, nemini dubium est, citráque naturam ( licet & vnà secum cooperetur natura ) húcque allusisse Hippocratem, æqualitérque Galenum, primæ oraculorum sectionis illis, In perturbationibus ventris, & vomitibus spontinis. Et eodem pariter modo, si medicus moliatur aliquam facere euacuationem. Atque quartæ sectionis illis, In medicationibus talia educere à corpore, qualia & sponte prodeuntia. Quando sponte euacuari è corpore dicimus quæcunque sine aliqua medicatione excernuntur. Conspicitur siquidem & ipsa post coctiones humores, & superfluitates expellere, quo in tempore fiunt iudicationes. Sed quum perfectè ipsa mouetur, medicamento opus non est, si verò mediocrius, atque imbecillius agat, id quod deficit, oportet supplere, vt ex vtroque noxij humoris fiat euacuatio, natura quidem expellente, medicamento autem attrahente. Propterea & id quoque Princeps recensuit hisce verbis, Et si ipsa non mouet, moue tu hora motus eius: & si ipsa mouet, aut mouit, tunc dimitte

Hip. 1. apho. 2. Ext. 3. B. Gale. sup.

Hip. 4. aph. 2. Ext. 28. C. Gal. sup.

Gale. 1. aphor. 22. Ext. 10. E.

Auic. 1. 4. tra. 2. c. 7.

mitte eam, & operationem eius. Atque illis: Quòd si consequatur crisis, & videris digestionem in vrina, & est sedimen laudabile, quod cognouisti, tunc si excusat, bene est, si non, cura tunc cum eo, quo iuuatur natura, ex prouocatione vrinæ, aut solutione ventris, aut vomitu, aut fluxu sanguinis narium, & non agas contra ipsam in hoc. Attamen vtrauis earum vel natura scilicet, vel ars, in euacuando operetur, pro virili earum parte totam noxiam materiam educere mens est, eò quòd literarum monimentis commissum ita legatur. Euacuatio verò, quæ totam substantiam ex corpore educat: Verùm accidit veluti in crisibus vel diminutam euacuationem fieri, vel totam adamussim excerni materiam. etenim crisis quidem omnino fit subitis quibusdam excretionibus, aut effatu dignis abscessibus: Proinde, crisis quidem simpliciter morbi solutio subita, defecta verò crisis subita morbi diminutio. Iuxta quod & Princeps ait, Et omnis crisis aut est laudabilis, aut mala, & vnaquæq; aut cõpleta, aut diminuta. & completa quidẽ aut est ita ꝙ natura expellit materiã expulsione totali, aut cũ permutatione. Et illarum

Auic. 1. 4. tra. 2. ap. de cu. t er. pu.

Gal. 3 art. med. cap. 89. isago. 70 G.

Gale. 3. de cris. 4. cl. 140. H.

Gale. sup. 143. D.

Aui. 2. 4. tra. 1. c. 2.

vacuationum discrimen est, quoniam eua-
cuatione diminuta non totaliter absolui-
tur ægrotans, quin quoddam superexpe-
ctatur aliud vel vacuans, vel digerens, nam
Hip. 2. aphor. 12. Ext. 12. G. quæ relinquuntur in morbis, recidiuam
facere consueuerunt. In exquisita verò
liber euadit ægrotans, nec alia opus est
euacuatione, quoniam quę iudicantur, aut
iudicata sunt integrè, neque mouere, ne-
Hipp. 1. aphor. 20. Ext. x. A. que nouare aliquid, siue medicamẽtis, si-
ue aliter irritando, sed sinere. Prætereà
& quum eueniat ab ipsa natura, artéque
materias in ductuum viis sitas molliter
excerni, iure factum est, vt vulgatissima
ista distinctio proponatur, videlicet, Eua-
cuationum aliam lenientem, aliam mi-
nuentem, aliam & postremam esse eradi-
cantem. Nec id vsu venit iniustè, quando-
quidem compertum fuerit celeberrimos
artis medicæ institutores, quos imitari
nobis propositum est, antedictis euacua-
tionibus è variis respectibus obortis con-
similia nomina indidisse, vsuíque potissi-
mùm demandasse. Vacuationes equi-
dem illas describi posse firmamus, vel
vt regiones, particulásve, vacuandas re-
spiciunt, vel vt exinanientia pharmaca
requirunt, vel demum quo ad eam, quæ
eductioni subsidet, materiam. Quippe
ad

ad particulas, ex quibus vacuatur reſpicientes, lenitiuum appellare libuit à ventriculo, ductuúmque viis duntaxat euacuans, & à diſtantioribus educens, eradicatiuum, intercidentium verò membrorum ventriculo, ductuúmque viis proximorum purgans, minoratiuum. Sícque audiatur ad hæc Galenum annuiſſe iis, Reliquuum igitur eſt, vt exponamus quẽadmodum curari ſuccus vitioſus debeat, qui in ventriculi tunicis eſt receptus. Sint porrò ad huiuſmodi affectus idonea pharmaca genere quidem ea, quæ modicè purgant, ſic vt eorum vis ſuper ventriculi, & inteſtinorum loca non aſcendat: aut ſi quid vltra, vaſa tantùm in meſenterio contingant. Commeminit & ita Princeps, Et oportet, vt adminiſtretur in mundificatione ſtomachi, & eius quod aggregatur in vacuitate eius, aut adhæret, aut imbibitur, medicinæ non pertranſeuntes ſtomachum, & vias proximas ſtomacho: abſque venis longinquis ab eo. Et rurſus Galenus, Euacuatio igitur affligentis humoris per ſolam aloën contingit, quæ purgatoriam vim non fortem habet, ſed vt ea, quæ circa aluum ſunt, quæ etiam contingit, purgare poſsit: & ſi aliquando maiori pondere exhibeatur, vſque ad

Gal. 7. metho. 7. cla. 48. G.

Aui. 13. 3. tracta. 1. cap. 24.

Gal. 8. de cõp. med. loc. v. cla. 19. E.

locos ſecundum hepar conſcendit:non tamen totius corporis purgatoria aloës exiſtit. Verùm inſtrumentorum ratione quibus exercetur vacuatio, lenitiuum dicetur, quod à lenienti medicamento eſt, ex lenientibúſve commiſtis medicamentis fit: Eradicatiuum autem, quod ex fortioribus duntaxat, humorémque proprium eligentibus, violentérque attrahentibus, medicaminibus confectum eſt: Et Minuens vel quod ex prædictis extremis coniunctis ad naturam quandam, virtutémque mediocrem ab extremis illis recedentem quocunque libuerit modo redactum eſt, vel quod ex mediocriter purgante, purgantibúſque perficitur.

Et de lenienti modo hoc ita deſcripſit Galenus, Paritur fluxibilitas iis, quæ per ſedem excerni habent mulſa, & cibis his, qui ventrem liquant, & pharmacis, quæ modicè proritare poſſunt: quæ enim acriora ſunt, vitare oportet, quoniam phlegmonem accendunt. Et eiuſdem lenientis ſic commeminit Princeps, Lubrificatiua autem eſt, cuius proprietas eſt, vt humectet ſuperficiem corporis obuiantis meatui, & retenti in ipſo, ita vt remoueat ipſum ab ea, & faciat partes eius ſuſceptibiliores curſus propter

Galen. 11. metho. 7. cla. 74. D.

Aui. 2. cano. cap. 4

p... ... ... acquisitam per ad-
mistionem eius, deinde moueatur à lo-
co suo grauitate sua naturali, & virtus
expulsiua sicut prima in solutione sua.
Consimilia quoque de viribus cordis de-
scribuntur tractatu. Et de minoratiui
huiusmodi acceptione commeminisse exi
stimamus Hippocratem libro de fractis
ea serie, Quum verò reposueris quo die Hipp.1.de
repositum est molle, & lene, veratrum fract.Ga-
propinato. Quamuis ibidem asserat Ga le. sup. 7.
lenus, Quid molle hîc significet in dubio cl.242.H.
est: Nam de quibuslibet fortibus ad me-
diocritatem reductis medicamentis, se-
cundo de compositione medicamento-
rum secundum locos, capite de vsu for-
tium pharmacorum proportionaliter di-
xit Galenus, Quam vtendi rationem de Gale.2.de
prædictis pharmacis dixero, eam ad o- cõp. med.
mnia alia quæcunque fortem vim ha- loc.5.cla.
bent, transferre oportet: non enim sta- 143.H.
tim à principio efficacissima adhibere cõ-
uenit, sed à debilioribus auspicari: quin
& ipsa fortia pharmaca mitigatoriorum
admistione lenita, moderata fiunt. Et
modo hoc, quarto de victus ratione in
acutis scribitur, Verùm si murmura-
uerit, fuerintque excrementa biliosa, scam Gale.4.in
monia mediocriter purgato. Et in do- acut.7.cl.
cum 142.D.

cumēto de puero epileptico Galenus, Puerum purgandum affirmo mediocri purgatione. Atque vna omnium primo artis curatiuæ de cura quartanarum, Quas ab initio mediocriter, ac leniter, tractare oportet, nullum forte medicamentum, aut euacuationem exhibentes.

Gal. in doctri. de pue. epi 7 cla. 175. D

Cæterùm & Galenus eradicans pharmacum, & reliqua, commemorauit plures alibi, atque iis, Sed fortè quiſpiam dicet velle ipſum ventrem ſubducere attractoriis, id eſt, quæ craſſum trahunt ſuccum, cuiuſmodi eſt, quod pituitam trahit, at verò ſorbitiones non dixiſſet, nempe hoc munus medicamentorum eſt, & non ſorbitionum, ſicuti neque potuum. Atque pariformiter Princeps ſic ſcripſit, Et ſi natura non fuerit lenis, adde in eo, quod eſt ſicut ſiracoſt, & quod eſt ſicut ſyrupus violatus: & ſit finis intentus lenificatio: non fluxus ventris, & non ſolutio laborioſa. Rurſus autem quo ad materiam quæ eductioni paratur accedit, quòd lenitiuum duntaxat ad labiles educendum materias, communéſque, atque paratiores propinetur: & Eradicans ad educendum totam materiam: vbi Minuens ad tollendam noxiæ illius materiæ partem, minuendámque eam exhibeat

Galen. 1. art. cur. 7. cla. 97. C.
Gale. 4. in acut. 7. cl. 136. A.
Auic. 1. 4. tracta. 2. cap. 7.

beatur. Et esto, eiuscemodi in seipsis clara sint admodum, communíque admittantur consensu, atque etiam Galeni dicta, citatáque, assonent pleraque: attamen & hæc ipsius addantur, Quòd autem scopus illi sit non solùm alimenti excrementa subducere, verùm quoque locum passim expurgare, palam est. Atque ex secunda oraculorum sectione hæc, Vt igitur hæ citius eueniant, melius est circa principia euacuare, quò minorem iam factam materiam faciliùs possit natura concoquere. Atque sectionis primæ oraculi tertij Commentario de eradicanti Hippocrati, Galenóque assentimus: & modis illis quibuslibet hæc Auicennæ subscribunt, Et quum administraueris canones prædictos in principio aduentus febris, tunc oportet post illud, vt tu occuperis in digestione, & euacuatione, quæ non est secundum semitam minorationis, & alleuiationis, & iam diximus eam, imò secundum semitam abscisionis causæ. Lenientis quoque pharmaci eiusmodi, de tertianæ puræ cura sic meminit Auicenna, Rectum nanque est, ne in potu detur, quod est, sicut aqua hordei, neque ei simile, neque cibi, nisi natura iam lenificata. Itidem penultimè citato Galeni contextui quarti de

Gal. 4. in acut. 7. cl. 136. F.

Gale. 2. aphor. 29. ext. 17. D.

Auic. 1. 4. tra. 2. c. 7.

Auic. sup. ca. de cu. ter. pu.

de victus ratione in acutis consonus diminuens hoc pharmacum ita recensuit capite subsequenti, Fortasse est necessaria medicina fortis vno modo, & debilis alio modo: eius verò fortitudo est secundum hoc, quòd ipsa non euacuat plurimum vice vna, imò posibile est, vt fiat gradatio in ea, quare euacuet humorem cuius euacuatio est necessaria multis vicibus, vt nõ destruat virtutem. & hæc medicina est, qua potest partiatur in pluribus vicibus, & aggregetur, & soluat plurimum eius, & soluat parum eius, sed parum parum ex malo, & plurimum plurimum ex malo. Cæterùm pro comperto habemus in locis quampluribus prædictis quibuslibet euacuandi speciebus Galenum adstipulatum fuisse, vt inferiori amplius successu patebunt contextus. nam ideò hæc loco isto missa facimus, ne postmodum vt inutilis conuitietur rescriptio. Id scitu attamen dignum sit, sæpenumero hasce euacuandi maneries ad seinuicem consentire, vt tria illa in intentione conueniant, quando fiat vt medicina lenitiua & ex lenientibus medicamentis, & ad educendum labiles materias, & ex primioribus particulis duntaxat astruatur. Minuens quoque pharmacum ex mediocribus me-

Cap. de cu. ter nõ puræ.

dicam

dicamentis, vel extremis illis commiſtis, ad minuendámque materiæ partem, ex propinquis viis ductuum particulis paretur: atque Eradicatiuum vacuatorium ex ipſis medicamentis fortibus, vigoroſi'ſve ac violentioribus, ad totam educendum materiam, ex longioribus etiam particulis intendatur. Sæpenumero etiam contingere, vt bina dictarum euacuationum propoſita alternatim medicus exequatur, interdum & vnum intendatur ſolummodo, iuxta rei exigentiam. Perpendendúmque nec minus, id, quod quæcunque educentia quomodolibet medicamenta, eorum quantitatis augmento, diminutionéque, ad fortioris, debilioríſque, vires euadit, quemadmodum de aloë ferebatur. Et ſi aliquando ampliori põdere exhibeatur, vſque ad locos ſecũdũ hepar conſcendit. Cõſimiliter & pharmacum eradicãs eiuſmet quantitatis ſubtractione tum minuẽtis, tum lenientis pharmaci, naturã haudquaquam excedat: quin denique minimè ſoluat, & hoc ſecundum diminutionis exceſſum. Proinde qui medicam callent artem purgantibus pharmacis, per aluúmq; præcipuè deiicientibus, tum ſimplicibus, tum compoſitis impoſuêre gradus, doſimve, infra quos vel pauxillum, vel

Gale. 8. de cõp. med. loc. 5. cla. 195. E.

min

minimè agant: & ſupra quos effrænes ſint. veluti de ipſa picra ſecundo de compoſitione medicamentorum ſecundum locos, de his, qui ex ſtomacho caput dolent, ſcripſit Galenus, Datur ad ſummum ex pharmaco hoc drachma vna cum aquæ calidæ cyathis non pluribus quàm tribus, minimum verò dimidium eius præbetur, datur & intra hos modos quantitate iuxta ætatem, corporiſque magnitudinem, conſuetudinémque, permutata. Qua de re quod Galenus ita ſcribit, Sed neq; quod paucum quantitate eſt, molle rectè dici exiſtimaret quiſpiam, Id in eorum naturis verificandum eſt. Nam licet pharmaca prę potentia, quatenus præpotentia, minimè mollia dicenda ſint, attamen nemo hominum ſcientia præditorum ibit inficias, quum dixerit quis, ſubtracta medicamenti quãtitate, eius actionem adinueniri minorem, quin (vt ſuprà dictum eſt) haudquaquam agentem. Interdum enim propinatum pharmacum non operatur, quia quod purgare debet, exiguum fuit. Atqui quamuis lethalia pleraque ſint pharmaca, ſi paucula quantitate ſumantur, non occident. Id quod probauit anus Athenienſis, cuius apud omnes percelebris memoria eſt, etenim ea ab exigua cicutæ

Gale. 2. de cõp. med. loc. 5. cla. 139. D.

Gale. 3. de fract. 7. cl. 242. H.

Gal. quos pur. cõ. v. cl. 91. G.

Gale. 3. de ſim. med. fac. 5. cla. 23. C.

port

portione auſpicata, nullo detrimento ad permagnam progreſſa eſt copiam: principio enim paucum exiguitate ipſa deuictū eſt, at conſuetudo naturale reddidit. Et ſimiliter dixit Ruffus, quòd nutrita fuit puella cum veneno, vt interficerentur per eam reges, qui cum ea conuenirent: Opus eſt enim vt quicquid agat (etiam ſi ſit valentiſsimum) aliquantam tamen & magnitudinem habeat, quando nimirum & ignis ipſe (ſi prorſum minimus ſit) præter quòd non vret, ne calfaciat quidem: quippe cùm & centeſima ſcintillæ portiuncula ſenſu à nobis ſit imperceptibilis. Non enim quotienſcunque minoratur corpus virtutem ſuam ſecundum qualitatem ſuam, & ſecundum proportionem minorationis eius ſeruat, imò poſſibile eſt, vt diminutio corporis perueniat vſque ad terminum, ne poſt ipſum corpus aliquod ſuæ operationis, quæ ſibi propria eſt, agat: quoniam non eſt neceſſarium quando virtus alicuius corporis facit motum aliquem, vt medietas illius corporis moueat illud, quod eſt motum ab eo omnino. Cæterùm ad hoc vſq; vniuerſa noſtra progreſſa eſt oratio, vt clariſsimum hoc de propoſito eluceſcat intentum: An

Auic. 6. 4. tra. p. ca. 2

Gale. 3. de ſim. med. fac. 5. cla. 24. B.

Auic. 2, can. ca. 5.

antequàm tota concocta materia ſit, an in decremento duntaxat, & deinceps quum victa verè tota materia eſt, aliqua per aluũ euacuationum ſpecie ex corpore educere peccantem materiam conueniat, ſiue vniuerſalis ipſa diſpoſitio ſit, ſiue in data quauis morbus exiſtat particula. Et de primæ ſectionis intentu ſatis hæc ſint.

*

# SECVNDA SECTIO.



N HOC ſanè libro ipſum inuentorem, ac veluti patrẽ dogmatũ venerabimur, Hoc eſt enim iuſtum, ſimúlq; decens præmium eorum, qui quodcunq; tandẽ in vita bonũ inuenerunt, vt videlicet inuenta ipſorum nõ occultentur, neque hominibus ſint ignota: ſed tum ipſa appareant, tum ratio, & methodus, quæ ipſa inuenit, cognoſcatur: Sic enim & pro dignitate ipſos in admiratione conſtitui continget. Ego nanque non eo conſilio, vt nemo Hippocratis libros legat, ad hoc opus ſcribendũ acceſsi: verùm quoniã is mihi primus idonea vſus eſſe via videtur, nec tamen eam totam compleuiſſe, quum quædam minimè limitata, quædam imperfecta, obſcuráque, ab eo prodita inuenire liceat: iccirco tum omnia ea lucidè explicare, tum quę parum diſcreta ſunt, diſtinguere, tum quæ deficiunt, ſupplere ſtudui. Vbi igitur aliquis ſe in his noſtris primitus exercuerit, tunc ſe ad libros Hippocratis legendos conferat, Galenique itidem, ac Principis, volumina reuoluat: ibidem

Gale. 2. de diff. reſp. 3. cl. 64. H

Gale. 6. metho. 7. cla. 40. B.

dem enim quiſque diligenter perpendens (veluti optimos decet medicos) intuebitur, ac medullitus introſpiciet, eorum quæ à nobis reſcribuntur relucentiſsimam admodum intelligentiam, quanuis plerique arbitrati ſint quadam adducti veriſimilitudine (& perperam) Hippocratem de eo, quod ad præſens ſpectat problema diuerſimodè eius ſententiis demandaſſe. ſed nūc arduæ dubitationis originem ex quibuſdam eius Hippocratis contextibus tangamus. Quibuſdam itaque medicorū quòd ante coctionem euacuandum non ſit, aſſeruiſſe viſum eſt Hippocratem primæ ex oraculis ſectionis illis, Concocta medicari, atque mouere, non cruda, neque in principiis, modò non turgeant, plurima verò non turgent. Atque quarto de acutorum victu, ſic de partiali morbo diſſerentem, Quicunque autem ea quæ inflammantur, ſtatim morborū inter initia medicamento ſoluere conantur, ij non ſolùm ab intenſa, inflammatáque parte nihil adimūt, quum non cedat, obſequatúrque, quæ adhuc cruda eſt affectio: verùm quoque & quæ morbo aduerſa, & ſana ſunt, abſumunt, contabefaciúntq;, ductóq; ad imbecillitatē corpore, morbus ſuperior euadit, qui vbi corpus vicerit, remedium non habet,

Hippo. 1. Apho. 22. Ext. 10. D.

Hip. 4. in acut. 7. cl. 237. A.

bet. Et infrà de febre ſic protulit, Ventrem ab initio clyſtere duces: ſed medicamenta purgantia ne admoueto, nẽpe ſi ventrem moueris, vrina non maturabitur, febríſq; citra tum ſudorem, tum iudicationem, in lõgum protrahetur tempus. Quòd autem ante concoctionem, potiſsimúmque morborum principiis, euacuandũ eſſe reliquerit, ex ſecunda oraculorum ſectione hæc adducitur ſcriptio, Quum morbi inchoãt ſi quid mouendum videtur, moue: quum verò conſiſtunt, ac vigent, melius eſt quietem habere. Et in quarta oraculorum ſectione, decimo oraculo, quod vniuerſaliter nuper adducta præſcripſerat dictione, de valde acutis alloquens ita reſcripſit, Medicari in valde acutis, ſi expedit, eadem die: tardare enim in talibus malum eſt. Libro quoq; ſecundo, de victus ratione in acutis, de partiali morbo ſic inquit, Si verò eas quæ ſub ſepto trãſuerſo ſunt partes, dolor infeſtat, nullúmque ad clauiculam ſignum fecerit, ventrem vel nigro veratro, vel peplio, mollire oportet. Et rurſus in libro ſcribitur quarto, Si dolor ſub thorace fuerit, valdéque infeſtauerit pleuritico ventrem, ſubpurgabis: nihílque dum purgabitur dabis, à purgatione autem oxymeli: veruntamẽ purgans medicamentũ quarto

Hipp. ſup. 139. G.

Hippo. 2. Apho. 29. Ext. 17. C

Hippo. 4. Apho. 10. Ext. 29. B

Hipp. 2. in acu. 7. cla. 117. H.

Hip. 4. in acu. 7. cla. 143. D.

die miniſtrabis, primíſque tribus diebus clyſteres exhibebis, quibus ſi non leuetur, ad hunc purgabis modũ. Demum & quòd mediam dixerit ſententiam viſum eſt, prima illa aphoriſmorum ſerie, In acutis paſſionibus rarò, & in principiis, medicinis purgantibus vti, & hoc cum præmeditatione faciendum. Et in libro de victus ratione in acutis ſic aſſerit, Si febris hominem prehẽderit veteri excremento deſcẽdente, vel nuper cibatum, ſiue cum lateris dolore, ſiue non, is quieti tantiſper permittendum, donec cibus primum ad ventrem imum deſcenderit, ſumat autem in potu oxymeli. at quũ grauitas ad lumbos vſque deſcenderit, tum vel clyſmum dare, vel medicamento purgare oportet. at ſi liquidam aluum habenti cauſas ſuperuenerit, ſi tibi purgatio idonea videatur, eam non primis tribus diebus adhibebis, ſed quarto. Et illis inferiùs adhuc, Hos ſi ab initio purgare volueris, id ante diem quintum facito, vbi venter murmurauerit: ſi non, à medicamentis abſtineto. verùm ſi murmurauerit, fuerintque excremẽta biliosa, ſcammonia mediocriter purgato: quantum verò ad aliam pertinet ſanationem, quàm minimè exhibebis, tum potus, tum ſorbitiones, vt melius æger habeat, niſi

Hippo. 1. Apho 24. Ext. 10. H.

Hipp. 4. in acu. 7. cla. 138. H.

Gale. 4. in acu. 7. cla. 142. B.

nisi decimamquartam fuerit egressus. Et de eiusmodi re, quæ præscripsimus satis sint, quãuis plurima prædictis cognata adduci possint. Sed enim dictum sæpe à me est huiusmodi Hippocratis locutiones prębere occasionẽ aliter, atq; aliter explanandi, vt quod quisq; interdum opinetur, probabile esse videatur: quocirca neque de eo, quod quisq; verum esse opinatur, affirmandum est. Postulant autem, & quæ Hippocrates ipse reliquit, non malos agricolas, qui ea tum seminẽt cõmodè, tum augeant, tum perficiant. Id autem fecisse ante nos neminem, sed plerosq; etiam semina, quæ reliquit corrupisse, iis qui animum aduertunt, clarè monstratum arbitror, in assequentibus paginis. Quippe secundum triplices series illas, tres & de quæsiti intento fuisse existimantur sententię, trésq; proinde sectas originem ab illis traxisse, illo eodem fermè ad seinuicem dissentientes ordine. Verùm iuxta ita opinantium sententiam easdem recensere nunc liceat, nec rhetoricè quidem quid: Quia de consuetudine rhetorum est, vt narrent in primis quidem cui volunt contradicere, ita quòd quando recipitur ille sermo, non intẽdunt nisi ad contradicẽdum ei. Quanquam quid rhetoricè dixi, nõ enim quũ rhetorum ali-

Gal. 3. de his q. in med. fi. 7. cla. 212. G

Galen. 6. meth. 7. cla. 43. F.

In vet. 2. reg. 35. co. Huma.

Gal. 1. de fac. nat. 1. cl. 28. F.

qui quę maximè ſoluere non valent, his riſu eluſis ne contradicere quidem tentant, hoc nos iam rhetoricè dicere putamus, quippe probabili quapiam ratione agere, id eſt rhetoricè quid moliri: ſine ratione autem ſcurrile, haudquaquàm rhetoricé.

Quinimò huiuſmodi aliter opinatas ſententias ſecundũ ita ſentientium mentem pleriſque authoritatibus roborare, firmaréq;, permittatur, vt poſtmodum intimiùs perſpicienri illarum imbecillitas clareat, conſtantiáq;. Et ideò tentabimus ſermonem tranſigere, neq; hîc prolixiùs ſcribentes, neque aliorum errata corrigentes, ſed quemadmodum in ſuperioribus egimus, ſolam veritatem amplectẽtes, ex qua quiſpiam inſtructus etiã aliorum delicta comprehenderet.

Gal. 2. de dif. feb. 3. cla. 41. C.

## GALENO ADSCRIPTA SENTENTIA.

GAleno igitur à secta quorundam recentiorum adſcribitur, vt ſenſerit, ante totam materiæ coctionem, materiam vacuandam non eſſe, ideóque nec in morborum initijs, niſi quum à materia inordinatè mobili ſuimet originem acutiſsimus contraxerit morbus, eámque Hippocrati

conformiter turgentem, furiosámve, nuncupare consueuisse Galenum affirmatur. atque hæc ex prima oraculorum sectione adducitur series, Consueuit Hippocrates dicere medicari, pro vti medicamento pur gante: verbum autem turgere, translatum est ab animalibus ad humores, nam sicuti illa stare loco non possunt quodammodo titillantia, atque impulsa, concitatáque à passione, sic & humores plerunque in motu vehementiore, atque transfluxu, ab vna parte ad aliam, in morbi principio hominem infestant, mouentes, fastidientes, & quiescere non permittentes, quum & ipsi pariter moueantur, & transfluant, & tanto motu de loco ad locum ægrum molestent. tales itaque humores euacuare conuenit, hoc est, qui agitant, & de loco ad locum mouentur, ac transfluunt. Eos verò, qui sunt in aliqua corporis parte firmati, neque alio auxilio mouere oportet, neque medicari, ante coctionem, tunc enim naturã ipsam habemus euacuationi ipsi adminiculantem. Et eiusdem sectionis penultimo commentario, Paulò antè dictum erat concocta medicari, & mouere, non cruda, neque in principiis, si non turgeant, plurima verò non turgent: Nunc autem quòd circa principia acutarum ægritudi-

galen. 1. aph. 22. Ext. 10. D

galen. 1. aph. 24. Ext. 10. H

num tantum cõtingit purgare vtiliter, nos docet Hippocrates. nam in longis morbis ſemper oportet expectare coctionem: in acutis verò quum turgent, etiam à principio poſſumus vti medicamentis purgantibus, & hoc ipſum cum multa cautione, & præmeditatione, facere. Itidémq; in primo quartæ ſectionis commentario videli-
Galen. 4. aph.1. Ext.28.B. cet, Non tamen omnes, qui hoc tempore indigent purgatione, permittit purgari, ſed ſi materia turget inquit, hoc eſt cogat accelerare: tractum enim vocabulum eſt ab animalibus ad coitum concitatis, quum ſuperabundantes humores mouentur, & per totum corpus deferuntur, nondum in aliqua parte firmati, tunc ad eos expellendos natura incitatur, & aliquo indiget manum porrigente, & hunc humorem motum ad aluum deducente: eos verò, qui aliqua in parte ſunt firmati humores, non oportet mouere. Igitur ex eis contextibus prima fronte derelinqui videtur (ceu probabile quid) quod à ſecta hac ipſi Galeno, Hippocratíque, conſequenter adſcriptum eſt, atq; tractatu, quos purgare conueniat iis, Concitati verò, & turgere, hu-
Gal. quos pur. cõ.5. cla.91.D. mores dicuntur, quum motu vehementiori agitantur, ac ab vno loco ad alium confluentes inter principia morbi hominem vexant

vexant: doloresq;, ac titillationes afferendo ægrum quiescere non permittunt. Et quòd turgere ab animalium similitudine sese ad coitum, concitantium translatum appareat, huiuscemodi quoque illius scripta superaddantur, quartæ aphorismorum decimi, Dictum est à me prius, quòd verbum turget Hippocrates transtulit ab animalibus, quæ ad coitum properant, quum naturali concupiscentia mouean-tur ad seminis excretionem. Atque ex primo de crisibus hæc. Quod verbum propriè de animalibus dici consueuit, quæ ad coitum rapiuntur: translatum autem est ad eas quæ properant, & celeriter mouentur ægritudines, & præcipuè quum laborantis sensus ab inordinata humorum, & spirituum, agitatione irritatur. Hoc etiam Galeni extitisse sententiam ab Auicenna confirmatum fuisse existimare quis posset, cùm scribat, Nam dicit Galenus penitus quòd in chronicis ægritudinibus maturatio tantùm, & nihil plus expectanda est. & tu quidem iam sciuisti quid sit maturatio: & antequàm euacues, & post maturationem ex subtiliatiuis in potu tribuere debes, sicut aqua hysopi, & hascæ, & seminum. Sed in aliis etiam ægritudinibus maturationem expectare melius est, & præ

Galen. 4. aph. 10. Ext. 29. C

Gale. 1. de cris. 4. cl. 130. D.

Aui. 4. 1. cap. 3.

& præcipuè quum quietæ fuerint. Quòd ſi mobiles fuerint, tunc ad euacuandum materiam feſtinare erit melius, quoniam impedimentũ motus eius eſt maius, quàm ſuæ euacuationis, antequàm ipſa ſit matura, & propriè, quum humores fuerint ſubtiles, & præcipuè quum in concauitatibus venarum fuerint, & nõ in membris ingrediẽtes. Quum autem humor fuerit in vno membro comprehenſus, nullo modo moueatur donec maturetur, & eſſentiam habeat temperatam, quam tu ſciuiſti in loco ſuo. Huic quoque adſtipulatũ fuiſſe Auerroëm credi poteſt illis. Sed quando nõ apparet digeſtio, tũc diſſenſio inter medicos reperitur, eò quòd Galenus, & maior pars medicorum, dicunt ꝙ minimè purgare debemus, niſi materia ſit digeſta, niſi ægritudo fuerit in vltimo acuitatis. & hoc intelligere poſſumus in dictis Hippocratis, quoniam quando ægritudo eſt in vltimo acuitatis, tũc humores ſunt in vltima furioſitate, & non eſt ſecuritas quin deſcendant ad quædam mẽbra principalia, & lędant ipſa, niſi ſint euacuati in principio ægritudinis, eo quòd humores qui acutiſsimi exiſtunt, ſunt ſubtiles, & quia ibi non eſt groſsities, nec viſcoſitas, quæ prohibeat operationem medicinæ laxatiuæ & non poteſt prouenire

Auer. 7. col. cap. 9.

uenire nisi vnum solum nocumentũ, quod est, quia medicinæ laxatiuæ suis qualitatibus primis augmentant febrem, & illud potest remoueri miscendo eis frigida, & humida, secundũ quod conuenit: Sed quando ægritudo non est peracuta valde, sed est quieta, tunc expectanda est digestio. Huius autem opinionis sectæ've inter cæteras rationes potissima hæc est, quæ contextui de crisibus nuper citato sic additur, Nam in his tantùm quispiam rationabiliter pharmaco vteretur, quum per se habeat adiuuantem ad facilius attrahendum superabundantium humorum motum, queadmodum qui præter id, quòd omnino crudi sunt, quum stabiles etiam, & fixi sint, purgantium medicaminum tractibus difficulter obediunt. Alia & quæ veluti potior existimatur ratio, conceditúrque, ea est, quam quartæ oraculorum sectionis præscriptæ subiecit seriei Galenus iis, Quando igitur in toto corpore similis huic fuerit naturæ impetus ad excretionem superfluitatum, vel si non in toto corpore, saltẽ in partibus principalioribus, tale quid, cõsueuit Hippocrates per verbum turgere, significare, & statim per medicamentum euacuationem faciẽdam indicat, prius videlicet, quàm robur corpo-

Gale. 1. de cris. 4. cl. 130. D.

gal. 4. apho. 10. Ext. 29. C.

ris

ris dissoluatur, vel febris caliditas augeatur, aut ad aliquod membrum principale decumbant hi, ui per corpus vagãtur humores: Ex iis binæ potissimùm assignantur rationes, quòd in illarum ægritudinũ exordiis in quibus tumultuosè mouentur humores ante coctionem euacuandum sit. tum quòd materiei exagitatio euacuationi opem ferat, seu(vt inculpabilior sermo sit)eductioni obtẽperet magis. tum quòd timeatur ne quũ in motu sint succi ad nobile quodpiã, insignitúmq;, repant mẽbrũ, perniciésq; causetur exinde. Binæ & pariformiter ostenduntur causæ, cur in acutis cæteris à materia mobili minimè dependentibus, donec morborum exordia præstò sint, atq; incoctæ reliquis temporibus subsistunt materiæ, quin & in aliis proportionabiliter morbis, haudquaquàm propinandum sit exoluẽs pharmacũ. Prior, quòd calidum ac siccum, id euacuans pharmacũ sit, subindéq; & febrem adaucturũ: altera & posterior, quòd indispoſita, vacuationíq; ineptior, illa quæ educi debet, existat materia. quo fit, vt euacuationi intẽpestiuè tentatæ succedẽte materiei perturbatione magis agitetur materia, quàm exeat faciliter, ampliúsq;, ac amplius intenta impediatur cõcoctio permistáq; insimul, & bona

na trahãtur,& mala, ipsáq; molestius vim patiatur natura.imbecillior etiã ad patrã-das crises quæ in illis euenire assueuerunt ægritudinibus, deueniat exinde. Et de priori causarũ euacuationẽ prohibentium infrascriptus est Galeni contextus, Vnde mihi videtur Hippocratem rectè adiecisse,& cũ præmeditatione facere, siue enim per hoc verbum diligentem intelligat examinationem,siue ęgroti pręparamentum, siue recti iudicij expectationem, siue horum aliquid,siue omnia vnius vocabuli significatione cõprehendantur, quãtum huiusmodi vereatur purgationes, manifestat:neq; enim periculũ minimũ in morbo acuto vti purgante medicamento, cùm omnia id generis sint potẽtia calida, febris verò quatenus febris est,& sui ratione, nõ calfaciẽtibus atq; exiccantibus,sed potiùs cõtrariis,hoc est humectãtibus,& refrigerãtibus, egeat. Et de euacuationibus plerisq;,xj.methodi sic differit Galenus,Ergo à corporibus,quæ sic afficiũtur, expellẽda, quæ putruerunt per vrinas,& aluum,& sudorem, sunt. Quòd si ad os ventriculi aliquando sua sponte impetum capiant,etiã per vomitiones,aliter autem nõ est, quòd ea præter naturam irrites,ac præterea eorum quidem,quę iam dictas euacuationes

Galc. 1. aphor. 24. Ext. 10. H

Galen. 11. metho. 7. cla. 70. C.

prom

promoueant, non parua materiæ copia est, sed maior eorum portio, cùm calida, siccáque, facultate sit, febrem auget. Et de posteriori vetitæ vacuationis causa citato primæ sectionis penultimi oraculi Commentario, ita commeminit Galenus, Quare non sine ratione dixit, rarò circa

Gale.1.apho.24. Ext.10.H.

principia morborum acutorum nobis venêre in vsum purgationes, quoniam non sæpius turgeant humores in principiis, neque siquid istorum adsit, ægro satis ad pur gationem parato: neque dante morbo nobis temporis occasionem, quò possimus ex imparato paratum facere. Et quod ad acutos attinet, hæc satis sint. Quòd verò ad diuturnos, cæterósque morbos acuitatis expertes spectat, licet plurima ex quàm plurimis Galeni tractatibus elicita adduci queant, attamen hæc in medium proferre satis sit, & quæ propriè præparationi, quã coctionis esse modum prætactum est, deseruiunt. eáque luculenter tractatu quos purgare conueniat, exarauit edisserens,

Gal. quos pur. cõ. 5. cla. 91.

Oportet autem priusquam purgans exhibeamus medicamentum, crassos humores attenuare, tenacésque dissecare, & meatus recludere, per quos traiici, atque deduci queant, si purgatio succedere debeat, cum in reliquis omnibus, tum præ-

cipu

cipuè in helleborum aſſumentibus: vis enim medicamenti, quæ diuellit, quum humores affectis membris altius inhæren tes excutiat, & ob hoc longis morbis proſit, faciliùs opus ſuum abſoluit prius attenuatis humoribus: quod qui negligent, moleſtas obibunt purgationes, hoc eſt, non ſine torminibus, interdum & vertigine quadam, multáquè nauſea, & malo pulſu, exolutione, & difficultate. Præterea & pleraque adinueniri eſt Galeni loca, quæ de partiali morbo aſſonent, veluti citata ſenioris hæc, Quicunque autem ea quæ inflammantur ſtatim, morborum inter initia medicamento ſoluere conantur, & reliqua. Hip. 4. in acu. 7. cla. 137. A. Itaque Galeni, Hippocratíſque, extitiſſe hoc intentum, quod illis ſeriebus roborauimus, à quibuſdã prolatum eſt (vti prædiximus) ſed quàm ſolida ſit eiuſmodi ſenten tia, poſteriùs enucleabitur.

## RASIS CREDITAMENS.

DIuulgatur quoq; Rasis extitiſſe mentem, quòd antequàm tota materia cõcocta ſit, quinimo in morborum initiis, protinus vacuandum fuerit. Et hanc continentis ſecunda ſumma de febrium humoralium cura derelictam. Nã quum Galeni placitum id præſcripſiſſet, quòd mala complexio, ſi ſine materia fuerit, curanda eſt, cum alterãtibus tantùm: verùm ſi cum materia fuerit calida, cum euacuatione: Sed ſi cum frigida fuerit materia, cum digeſtione quandoq;, quandoq; autẽ euacuatione, aut & quãdoq; vtroq; modo, cum digeſtione ſcilicet, ſi pauca: & ſi multa, cum euacuatione, & partis reſiduæ digeſtione. Quæ in ſecundo de ſymptomatum cauſis ſunt, adiecit. Sed nõ cognoſcimus modum in prohibitione laxationis faciẽdæ per laxatiuũ in quotidiana, tertiana, & quartana. tamẽ quod dicitur, quòd laxatiuũ excitat caliditatẽ, & hæc caliditas cùm ſit aliena, erit maioris adiutorij febris ſuper naturam, videlicet ſuper caliditatem innatam ibi, ideò non oportet vt detur medicamen laxatiuum, niſi ſit frigidum. Et ſi dubitaueris, & videris caliditatem innatam

Ras. ſu. 2. cõt. l. 3°. tra. 2. c. 2.

tam

tam non esse fortem, dimittatur natura in dispositione sua: & si videris eam sufficientem esse, quòd alteret maiorem partem ipsius humoris, & condominetur ei, tunc vtendum est laxatiuo: quoniam debilitata est caliditas innata, & caliditas laxatiua non est secura. & in hoc sunt duo modi in dubio. Vnus, quia dicetur, quòd quotienscunq; natura alterauit humorem digerendo humorem, ille humor tunc non debet demitti à corpore, quum tunc sit materia conueniens ad modum nutrimenti, nisi nimia fuerit quantitas eius, quoniam possibile est, quòd corrigatur per abstinentiam nutrimenti. Vnde euacuatio post digestionẽ nõ habet locũ, quoniã si euacuas, euacuabis tunc rẽ cõuenientẽ, & nõ incõuenientem. Secundus, quia inuenimus medicinas laxatiuas abundantes, quæ non excitant caliditatem, sed eam prohibent, & infrigidant. Et licet laxatiuum fuerit calidum, infrigidabit accidentaliter magis, quàm calefaciat. Et deinceps post multa: Quare dico, quòd si relinquantur natura & morbi ad digestionem, non erit opportunus medicus, quoniam humor agens ipsum morbum, factus est naturalis in alteratione eius penes eam, & in hoc erit annihilatio medicinę. Etiã dico, quòd dige

ſtio debet perquiri ex conditione nutrimenti, quoniam nutrimentum ante digeſtionem prolongabit atterminationẽ ex actu naturæ in eo, & in morbo: ſed quando inuenietur ſola cum morbo, erit velocior. tamen laxatiuum emittens humorẽ agentem morbum, non debet prohiberi ex parte actus naturæ in eo, & in morbo, etiam quum ſola fuerit cum morbo, non debet prohiberi laxatiuum ex parte expectationis digeſtionis, ſed detur ſi fuerit tempus, & diſpoſitio, & non tardetur penitus. Satis igitur ex antè dicta conſtat ſerie, quæ'nam ipſius Raſis extiterit opinio. Nec ſubticeri eiuſdem in cauſa fuiſſe, quoniam tunc humor à corpore pellendus ſit, quum naturæ diſpar, ac rebellis exiſtat, indéque morbum gignat, quod quum incoctus eſt, cẽſetur. Quippe coctione celebrata, & cõueniens naturæ ipſius ope iã redditus eſt, nec obeſt amplius, quinimo quũ præceſſerit coctio, firmatur, quod nullo pacto vacuãdũ ſit, niſi fortè à ſuperexcedẽte admodũ ſuccorũ, quanto ad id impelleretur, attraheretúrve, medicus: quò fieret, vt penitus ferè pharmacorum ſoluentium aboleretur vſus. Huius etiam opinionis probabilitatem ab eo, quod de nutrimento ſumitur exemplo, deduci palam eſt: nã quẽ-

adm

admodum in morbis ob nutrientis exhibitionem, duplici naturalis facultas laborat onere, videlicet, & vt cibum demutet assumptum, & vt morbificum, prauéque actu afficientem, exuperet succum: & exinde fiat, vt futuræ crisis proteletur ætas, at non illo modo eueniat, quando in eis non exhibitus fuerit cibus, quanquàm vt detur cibus ex isto necessitas instet, vt ad consistendi vigorem vsque virtus perdurare sufficiat, nec à morbi violentia prostrata concidat natura, ita ob pharmaci exhibitionẽ licet dupliciter naturalis laboret vis, videlicet tum vt pharmaco opituletur, prouideátque quo non lædatur, tũ vt morbificã absumat materiã: attamen in morbis quibuslibet ex plenitudine prouenietibus necesse est, quòd propinetur pharmacum, vt minori facta materia, citius, exactiúsq; dimicare valeat natura, materieíque residuũ vincere, & denique ægrotantem ab ipso absoluere morbo: quorum effectuum conspicabilis non erit euentus, si à principio non fuerit diminuta materia. Demum & rationem Galeni ipsemet Rasis bifariàm deleri auspicatus est, tum ex hoc, quòd nõ omne exoluens pharmacum caliditatis sit particeps, & febrılem igitur calorem subinde superadaugens, tum etiam ex hoc

quoniam admiſſo,omne pharmacum calidum eſſe,dici poſsit, quòd per accidens eiuſmodi infrigidare valeat,videlicet quũ calidum educat humorem,ad quod infrigidatio ſubſequetur. Verùm de conſtanti talium placitorum veritate in poſterum determinabitur:hîc enim hiſtoriam duntaxat recenſere nobis propoſitum eſt. Itaque taliter eius ſententiæ cõmeminiſſe ſatis ſit,de qua vj.eiuſdem libri tractatu ſic

Raſ.2. cõ. Liaro 30. tra.6.,c.2.

iterauit, Dixit Galenus,Hippocrates pręcepit,quòd euacuentur oportet humores in febribus acutis antequàm creſcat caliditas ipſorum,& debilitetur virtus,& proueniant ipſi humores excitati ad membrũ nobile,& condemnetur ei. Et ſi in his morbis,quorum terminus criſis ipſorum ſit in primo ſeptimo die debet fieri euacuatio, nulla relatione facta ad acuitatem, neque caliditatem ipſorum:quantò magis debet fieri in eis,quorum terminus criſis in quartodecimo eſt, & in interpollatis. Itémque ſecundo capite tractatus noni ſic recen-

Tra.9.c.2

ſuit, Et vidi ego quartanarium,qui paucos paroxyſmos habebat,& ſumpſit in potu ſtomatichon, & laxatus fuit quindecim vicibus, nec rediit febris omnino. Et nihil in febribus eſt laudabilius enacuatione, quoniam febris eſt ignis inflamma-

tus

tus in superfluitatibus. Vnde si nō inuenit superfluitates, recedit, & adhæret semper superfluitatibus, quousque paulatim dissoluitur: & in hoc virtus debilitabitur. Eiuscemodi propositum decimi ad Almansorem libri capite quarto exercuit in tertiana: Atque de hac Rasis sententia pro certo nobis compertum est, Auicēnam de tertianæ febris cura sub hisce verbis mentionem fecisse, Et tu quidem non auscultes sermonem eius qui concedit in principio solutiua fortia, & myrobalanos, & his similia, nisi illud quod diximus: imò oportet vt properes in primis, & lenias lenitate quadam cum eis, quæ diximus illic. Et de quartanæ cura infrascriptum protulit sermonem, Et si medicus iam præsumpserit, & solutione eduxerit melancholiam in principio aliquotiens solutione forti, & prohibuit ægritudinem penitus: Sed melioratio est facta ab errore. De eáque sui coliget septimo, commeminisse haud hæsitandum Auerroē sic, Sed in febribus phlegmaticis, & melancholicis, Rasis in principio earum purgabat: & hæc erat eius opinio, scilicet purgare, in principio febris. tamen Galenus dicit contrarium manifestè, scilicet quòd minimè debemus in principio febrium me-

Auic. 1.4. tra.2.c.39

Capitulo 65.

Auerr. 7. col. cap. 9.

lancholicarum,& illud idem dicit in epiſtola ad Glauconem. Et de Raſis ſententia hæc in medium allata ſufficiant, attamen, in ſeipſis æquiori animi lance penſitanda, trutinandáve.

## AVICENNAE, ET AVERROIS OPINIO.

ALia prædictas intercîdens, Auicennæ, & Auerrois, connumeratur opinio, & ea eſt: Diuturnorum omnium, ac quietorum affectuum, materiam ante coctionem vacuandam non eſſe. ídque Galeno conſonum, ſed Raſi contrarium, exiſtimatur. Atque in quibuslibet acutarum ægritudinum exordiis vacuandum, præcipuè quum materiæ in ſolo membro non fuerint affixæ: quod Galeno aliquantiſper aduerſari perſpicuum eſt: Dehinc etiam cæterorum quietorum, chronicorúmque morborum, nõ omnino totam coctionem expectandam: quinimo aliquantum purgandum primitus, deinceps verò & aliquantum digerendum, euacuationiq; magis aptandam eſſe materiam, quæ morbum facit, eámque iterata, pedetentímque facta euacuatione, foras ad poſtremum vſque ipſius depellendam. Et pro-

poſit

positorum primum vti Galeni acceptasse Principem constat his verbis. Nam dicit Galenus penitus, quòd in chronicis ægritudinibus maturatio est expectanda, & nihil aliud,& tu quidem iam sciuisti quid sit maturatio. Ab Auerroéque consimiliter refertur. Sed quando ægritudines non sunt acutæ, sed sunt ex humoribus mucillaginosis,& viscosis,& indigestis, ipsas euacuare,& purgare debemus post subtiliationem, & incisionem: & hæc est digestio eorum, aliôquin non oportet cum medicina purgari. Et infrà, Tamen Galenus dicit contrarium manifestè, scilicet quòd minimè debemus in principio febrium melancholicarum,& illud idem dicit in epistola ad Glauconem, & illud est, quia finis harum ægritudinum est securus, nec expectatur digestio mala. Quòd autem in acutis ante coctionem vacuari expediat, tum citato Principis subditur loco,tum prima quarti de febrium putredinalium vniuersali curatione, quum dixerit,Quum autem materia est plurima, mobilis,permutabilis de membro ad mēbrum,& existimas quòd nō est spatium in digestione eius, aut fortasse accidit in eo apostema pleuriticum:& aliud,si dimittatur,facit cadere in timorem ante tempus,

Auic.4.1. cap.3.

Auer.7. col.cap.9

Auic.1.4. tra.2.c.7.

in quo expectatur digestio, æqualis, procul dubio tunc necessaria est euacuatio: eius timor enim in hoc est minor, quàm timor in illa, & cum hoc natura mouetur ad expellendum eam propter multitudinem sui nocumenti. Quum ergo adiuuatur natura, conuenit ei adiutorium vltimum, quare non est excusatio eius. Ab Auerroéque quo suprà loco id sentitur, nanque quum iam de peracutis intentum hoc acceptasset Galeni, quod ab earum exordio vacuanda materia sit, & de acutis quibuslibet intelligendum, firmauit serie hac, Et scire debes, quòd ægritudines, quæ sunt acutæ in terris Hippocratis, in terris nostris peracutæ sunt, & hoc manifestatur, quia Hippocrates non curabat ægritudines, nisi cum aqua hordei, & mellicrate: & postquàm ita est, ægritudines acutę nostrę regionis, & aliarum calidarum terrarum, medicandæ sunt cum medicinis attractiuis, vel laxatiuis, in principio ægritudinis. Cæterùm, quod eorũ fuerit propositũ materiã aliquãtulum concoquere, & pedetentim, iteratóq; educere, ex Auicẽna perspicuũ apparet iis, Et similiter, quũ nõ fuerimus securi, quòd virtus vsq; ad maturitatis horã perduret, euacuabimus eam, postquàm cauerimus, vt eius subtilitatem, & gros

Auer. suprà.

Auic. 4. 1. c. 3. Aui. 1. 4. tract. 2. cap. 7.

grossitiem, sciamus: quoniã si spissa fuerit, & grossa, ipsam mouere non debemus, nisi post subtiliationem. Et hæc de febriũ putredinalium cura. Et quum administraueris canones prædictos in principio euẽtus febriũ, tunc oportet, vt tu occuperis in digestione, & euacuatione, quæ non est secũdum semitam minorationis, & alleuiationis, & iam diximus eam, imò secundum semitã abscisionis causæ. Clariúsq; ex Auerroë quod prætactum est iam, sæpius citato loco, etiam ista recolligitur serie, Et mihi quidem videtur impossibile recipiẽdo syrupum squinzibin per hebdomadã vnã factũ ex decoctione radicum lilij cælestis, & seminis apij, & liquiritiæ, quin præparet humores, & digerat, & leuiorem faciat exitum à corpore. & quãuis totus humor non euacuetur à corpore, tamen natura alleuiationem suscipit omnino, & inde redire debes ad incidendum, & subtiliandum per aliam hebdomadam: quemadmodũ diximus, & posteà purgare, quia taliter purgando humores habiles reperiuntur ad expellendum. Et simile est hoc homini ferẽti graue põdus, quoniã quãdo ferre nõ potest ipsum, & diuidit ipsum in partes, facilius tolerat ipsas. & postquàm

Auic. 1.4. tra. 2. c. 7.

Auer. 7. col. cap. 9.

natur

natura fuerit alleuiata, tunc digeſtio laudabilis apparebit, & rectificabitur domino concedente, & hoc melius exiſtit valde, quàm infirmum dimittere ægritudini & naturæ. Et de his ex aliorum ſententia propoſitis ſatis ſint tanta.

## PROPRIVM INTENTVM.

IVxta antedict as ita opinatas ſententias adeò inualuerunt ſectarum modi, vt vniuerſi ferè medicam profitentium diſciplinam earum alteri ſeſe diſpariter applicuerint, vel ancipites (vtpote qui parum norint) titubent, hallucinèntúrq;. Hinc (proh hominum ſcelus) ad tantam ambiguitatē huiuſcemodi contentio peruenit, vt etiam qui cuipiam prædictarum ſectarum ſunt addicti, inter ſeſe plurimùm diſsideant. Nam qui ſectam profitentur aſſerentium ante coctionem moliendam vacuationem eſſe, quidam hoc admittunt duntaxat, quū calidæ omnes, tenuéſque exiſtunt materiæ, quanuis non turgeant. Quidam etiā in materiebus craſsis concedunt, quum acutos efficiunt morbos: quorum generis apoplexia, epilepſiáque feruntur. Quidam verò in omnibus tam acutis, quàm diuturnis morbis, illud exercere non erubeſcunt. Pariformiter & mediam ſe-

ctam

tam profitentium quidam vacuationes
per pharmaca ſolummodo in principiis
moliuntur, in augmento, & ſtatu, ſilen-
tium præcipientes. Alij in quibuſcun-
que temporibus euacuationes admittunt,
in ſtatu quieſcentes ſolummodo. Alij ve-
rò in omni indifferenter tempore id fieri
poſſe exiſtimant. quo fit, vt in diuerſiſsi-
mas inter ſeſe trahantur aſſeuerationes.
Abhorrentium autem euacuationes, niſi
quum exactiſsima concoctio in tota mate
ria fuerit, quipiam nullo ingenio etiam
lenienti id fieri poſſe exiſtimant. Alij
verò duntaxat lenienti medicamine aluũ
emolliendam concedunt. & Alij à pleriſ-
que Galeni Scriptionibus deuicti aſſeue-
rantes vacuationem celebrandam ſolum-
modo in morbis de quibuſcunque Gale-
nus ſermonem habuit, purgationes in
aliis omnibus abnegant. Denique præ-
dicti omnes, & vnius ſectæ inter ſeſe, &
ab aliis ſectæ alterius, variis modis, di-
uerſis etiã articulis, & adminiculis, tum in
vocibus, tum in ſcripturis diſſentiunt, &
altercantur. Nec defuêre, qui re perſpica-
cius, magíſq; funditus inſpecta, propter ar
duas dubitationes vndecũq; pariter emer-
gentes ſubueriti fuerint, an illa verificẽtur
in abſolutis, vniuerſalibúſq; morbis (quale
feb

febriũ humoralium genus eſt,) an quum ægritudine aliqua partiale laborat membrum: atque etiam ſi in partiali morbo cõcedantur, an quãdo affectio cum febre cadat, an quando citra febrem, addubitarint. Etiam an in phlegmone duntaxat, an & in aliis tumoribus veritatem contineant: exindéque difformiter authorum ſententias interpretati aut contraxerint, aut demutauerint centies. Verùm in præſentia noſtrum eſſe nolumus eorum interpretationes qualeſcunque ſint, adaperire, vel earum authores nominatim conſcribere, ne eos maledictis inceſſere videamur, vel quouis modo carpere. Sed ex eis ſatis, ſupérque fit, id contigiſſe, vt tumultus adeò percrebuerit: quod tũ argumentis quãplurimis, tum præclariſsimorum virorũ ſcriptionibus, tum propriis aſſeuerationibus, demum & obiurgationibus, factiones quique ſuas pleriſque moti reſpectibus tueri contendant, nitantúrque: Atque eò cedat res, vt admodum ardua nõ immeritò diiudicetur contentio. Sed hoc vtique vnum primum eſt eorum peccatum maximum, qui aliquid ad humanam vitam pertinens, temerè pronuntiant, bonáque, ac mala, aut ex amore ſui, aut inanis ſapientiæ, aut arrogantiæ, aut ambitionis cauſa conſti-

Gal. de cu iu ſq; ani. pec. not. 2. la. 54. C.

tuunt

tuunt. Siquidem nonnulli rectè sese opinari sibi persuadent, nonnulli honoris, aut prętextus cuiusdam causa ea proximis probare tonantur, de quibus ipsi dubitant, atque animi pendent. peccant sanè vtrique, secundi scientes, & volentes, quorum vitium ex perturbatione proficiscitur, primi verò nescientes, ipsorúmque error peccatum propriè dici merebitur. Rectè igitur isti fecerint, si Aesopi manticarum meminerint, suásque ipsorum opiniones aliis examinandas concesserint, haud per Iouẽ talibus, quales ipsi sunt. Nonnulli Virtutẽ siquidem expositionis existimant esse, si scripta omni ope, omníque pacto, etiam si conspicuè falsa fuerint, defendãt. quod vbi in manifestis, conspicuísque, studiosè faciant, multò vtique magis in obscuris, absconditísque, nihil ipsis curæ est veritatis. Sunt etiã, qui patrocinari manifestis erratis documentum sapientiæ arbitrentur, eorũ instar, qui apud tribunalia Rhetoris obeuntes munus, manifestæ vel cædis, vel cuiuspiam talis flagitij conuictos à iusta liberant pœna: iudices ipsos quum sermonum rudes fuerint, & subdolas eorum, improbásque, vafricias ignorauerint, decipientes, & mente vacillare facientes.

Gale. 2. in 1. pro. 4. cla. 170. H

Sup. 178. H.

Latibula igitur, cauillíve, astruuntur

Gale.2. de simp. medi. fac. 5. cl. 10. G.

tur multiplices. Quos quum sophistæ excedant & tempus adulescentulorum frustra terunt, & sophismatibus, cauillísque homines seducentes eorum soluendorum imperitos falsis eorum dogmatis, opinionibúsque implent. Sed iam rei ipsius difficultatem aggredi concedatur, summáq; breui quęcunque ab eis achillea existimantur argumenta, authorúmque dilucidiores scriptiones, nobis recensere liceat, vt postmodum vndecunque sibi constans ab ęnigmatibus depurgata conspiciatur veritas. Quicunque igitur authoribus Hippocrate, Galenóq;, ante cōcoctionem euacuandum non censent, nisi quum ob varium motum materia fuerit perturbans, præter eos, quos suprà in Galeni credita mente reddidimus cōtextus, atque ibidem adductas rationes: videlicet quòd pharmacum soluens sit calidum, indéq; febrem adaugens, & quòd materia non turgens minus apta sit eductioni, quamobrē fiat, vt relata quàm plurima subsequantur incommoda: has quoque tum rationes, tum series, in medium afferunt, adiiciúntque, Primò, quòd pharmaca, quæ purgant, coctioni intentæ impedimento sunt: nempe corpus vehemēter mouentes frangūt, tali siquidem virtute prædita sunt omnia, quæ

gale.4. in acut. 7. cl. 140. A.

purg

purgant medicamenta. Hæc eſt ergo cauſa, cur purgationes coctionibus aduerſentur: Propterea & ita deſcripſit Princeps, Et non euacues materiam indigeſtã in calido, aut frigido, niſi propter neceſsitatẽ: fortaſſe enim multiplicatur euacuatio humoris non peruenientis ad ſtatum per digeſtionem, vt euacuetur, & fortaſſe nocet euacuatio maturationi, & fortaſſe permiſcetur cum ea malignum cum bono, propterea quòd mouetur malignũ abſque digeſtione ſua. Addunt etiam, quòd qui procedunt morbi à coctionis difficultate, & copia crudorum humorum, nullum ab excretionibus cõſequuntur emolumentum: Nempe aluus in quouis morbo profluens ſine quidem coctionis ſignis, quæ ſæpius audiuiſtis, nihil iuuat. ſi verò implacidius operata fuerit, præter id quòd nihil iuuat, noxam etiã affert: quoniã quando aliquis incipit morbus, ſi quid excernitur, nihil excernitur naturæ ratione, ſed ſunt omnia hæc caſus præter naturam earũ, quæ ſunt in corpore diſpoſitionũ. Præterea & adiiciũt, In acutis paſsionibus raro & in principiis medicinis purgantibus vti, & hoc cũ præmeditatione faciendum. Et hæc etiã, Sunt autem hæc, maximè venæ ſectio, nõnunquam verò & purgatio. vbi illa (Non-

Auic. 1.4. tra. 2.ca.7

Gale. 1. in 1. de mot. vulg. 3. cl. 107. F.

Gale. 2. in 1. proret. 4. cla. 179. B.

Galen. 4. Apho. 22. Ext. 30. G.

Hippo. 1. Apho. 24. Ext. 10. H.

Galen. 2. Apho. 29. Ext. 17. C.

nunquam) & (Raró)euacuandum quidem ostendunt,ſed ita vt in paucißimis aſſeratur:& id quũ ſucci morbifici turgeant, interpretatur. Inſuper quòd nec in augmento,nec ſummo vigore, euacuandum ſit,hi cenſent, propterea quòd dixerit Hippocrates, Medicari in valde acutis,ſi expedit eadem die,tardare enim in talibus malum eſt.Atque, Quum morbi inchoant,ſi quid videtur mouendum,moue:quum verò cõſiſtunt, ac vigent, quieſcere melius. Cùm ſcripſerit Galenus hæc, Verùm in acutis morbis circa principia ſtatim,circa primũ videlicet diem, vel non vltra ſecundum,ſi ſumus vſuri purgantibus medicamentis. Hæc etiam, Neque enim inter morbi initia aliquod remediorum huiuſmodi ægro iniungere oportet deſumpto à numero dierum ſcopo. ſed quod Hippocrates recenſuit eſt exequendum: nam vel ſtatim ab initio priuſquàm in partem aliquam confirmentur humores,medicandum, vel poſteà quũ ad maturitatem perducti fuerint. Atque illis conſonus ſit Auicenna iis, Et quum adminiſtraueris canones prædictos in principio aduentus febrium, tunc oportet, vt tu occuperis in digeſtione, & euacuatione,quæ non eſt ſecundum ſemitam minorationis, vel alleuiationis, & iam

Hippo. 4. Apho. 10. Ext. 29. C.

Hippo. 2. Apho. 29. Ext. 17. C.

Galen. 1. Apho. 4. Ext. 11. B.

Gale. 4. in acut. 7. cl. 143. E.

Auic. 1. 4. tra. 2. c. 7.

iam diximus eam, imò ſecundum ſemitam abſciſsionis cauſæ. & infrà, Et ſimiliter ſi times ſuper ipſam virtutem ex humore, & magis neceſſaria fuerit obſeruantia euacuationis, quanuis non ſit digeſtio, tunc non moueas niſi in principio: apud ſtatũ verò non moueas aliquid, donec vincat natura, & digerat. Conſimiles quoque plures tum rationes, tum authorum ſeries proferuntur, ſed potiſsima ea ſunt. Qui verò tota coctione nõdum completa, quin imò & in principiis, euacuandum exiſtimant, præter citatas in exiſtimata Raſis ſententia ſcriptiones, rationéſque: videlicet, quòd tũc euacuanda materia ſit, quum naturæ rebellis ægrotantem grauius afficiat, & morbum inferat magis, non autem quando amica effecta eſt, naturaliſque præuia alteratione deuenit, quod ante coctionem, & in principiis eſt. Etiam quoniam ſi in turgenti materia ante concoctionem fieri euacuationem concedatur, quamuis per eam acutiſsimę ægritudines, calidiſsimæque conflatæ fuerint, & magis in quietis, intermittentibúſque concedetur, quãdo minus acutæ illæ exiſtimentur, ac calidæ, & propterea non ita augeantur à pharmácis. Rurſus ob id, quòd putrida febris eſt ignis accenſus in materia, qua

deficiente,& ipſa deficit febris : quẽadmodũ & ipſe ignis extinguitur, eius iam abſumpta materia. Proponunt quoque, quòd tunc euacuatio fieri debeat, quum vigorotior cõtra cauſam morbi naturalis extiterit vis : quod in morborũ principiis potiſſimũ eſſe Galenus teſtatus eſt, oraculi vigeſiminoni ſecundæ ſectionis Commen-
Galen.2. Apho.29. Ext.17.C. tario, infrà ſcripta verborũ ſerie: Vt igitur hæc citiùs eueniãt, melius eſt circa principia euacuare, & infra intentum, tum propter alia, tum quia vis animalis magna ex parte eo tẽpore eſt fatigata, licet duæ aliæ, vitalis ſcilicet, & naturalis, fortes perſiſtãt.
Auic.4.1. cap.3. Ab Auicẽna ita ſcribitur quoque, Et ſimiliter quum non fuerimus ſecuri, quòd virtus vſque ad maturitatis horam perduret, euacuabimus eam. Iterum, Et aliud ſi di-
Auic.1.4. tra.2.c.7. mittatur, faciet cadere in timorem ante tempus, in quo expectatur digeſtio eius, & illud eſt propter longitudinem temporis, in quo expectatur digeſtio æqualis, proculdubio tũc neceſſaria eſt euacuatio. Eius timor enim eſt minor, quàm timor in illa. Inſuper quemadmodum à Galeno nuper-
Galen.2. Apho.29. Ext.17.C. rimè quo ſuprà loco prętactum eſt, Melius eſt circa principia euacuare, quo minorem iam factam materiam facilius poſsit natura concoquere, ſic vt à ſanguinis miſsione:

ne: Leuata nanque quæ corpus nostrũ regit natura, exoneratáque eo quo velut sarcina premitur, haud ægrè quod reliquũ est vincet, itaque proprij muneris haud oblita & concoquet quod concoqui est habile, & excernet quod potest excerni. Proinde rectè sic iuxta Auerroëm scriptum est, Et simile est homini ferenti graue pondus: quoniam quando ferre nõ potest ipsum, & diuidit ipsum in partes, faciliùs tolerat ipsas. Demum (ne diutius iis immoremur) multifariis id genus argumentis superiores sectæ vtuntur, sese quoque non modò Auicennæ, Galeníque sententiã, sed & intimum Hippocratis sensum depromere, vel imitari, pronuntiant, confirmántque. At verò si ad hos te conuertas, qui Hippocraticos sese nuncupant, vbi iuxtà ac alieni, & adulterini, sectatores errant, immeritò illis ignoscas. iam quum istorum absint errores, nõ solùm ab Hippocratis sententia, sed ab ipsa rerum veritate, duobus ipsos nominibus insecteris (siquidem melius est nihil) atque si ambobus interpres his scopis constet, vt simul & consentanea cum scriptore, & vera dicat, qui alterum tantùm obseruat, hoc est reprehendendus, quòd dimidium labefactauerit totius: Interpres verò, qui neque vera dicat, neque

Galen. 11. met. 7. cla. 73. A.

Auer. 7. col. cap. 9.

Gale. 1. in 3. de mor. vul. 3. cla. 122. F.

consentanea cum authore libri, maximè
censendus est peccare. Quamuis nanque
quæ iam præscripta sunt, corroborata sa-
tis à nobis extent, & ob id ceu verissima
quædam oracula censeantur à sectis: atta-
men secus esse veritatem, ab eísque procul
authorum experiri sententias confirma-
bitur. Non ea illorum igitur iudicanda
erit mens, quinimò, Quando in viri sapiē-
tis libro sermo inuenitur aliquis manife-
stum habens mendacium, non sine ratio-
ne legentes cōtingit dubitare, & primum
quidem sibiipsis diffidere, quasi neque illa
quæ sint manifesta noscentibus, deinde su-
spicari ne quod falsum fuerit interiectum.
Et vt veteris versionis assonat scriptio,
Tandem re certificata esse falsa, sapientis
non esse dictum id nō dubitet. Nos autem
quæcunque iudicamus liberè, iniquissimū
esse putantes veritatem occultare. Et hîc
igitur vtique nefas, dedecúsque, in verita-
tis committeretur silentio, satis perspicuū
profectò fiet inferioribus scriptionibus,
quæ præcipuè ex Hippocratis, Galeníque,
ac Auicennæ, referemus intimis, Galeni
iam assertam sententiam, atque adeò ita
corroboratam asseuerari admodum dimi-
nutè, atque plerisque in partibus oblęsam,
quemadmodum proxima nuper exeque-
retur

Galen. 6. Apho.34. Ext.51.G.

Gale. 1.de dieb. crit. 4.cl.147. F.

retur ſerie, niſi vel confuſio multa, vel inutilis redictionis, reſcriptionı́ſque timeretur occaſio. Verùm hæc duntaxat præſenti ſufficiant loco (quando magis proximę ſectioni conueniat) firmiter indicare vnam vere, eandémque, Hippocratis, Galeni, & Auicennæ, fore ſententiam: atque ad eundem ſcopum attingentem, ſi ad concordiam (veluti par eſt) adducantur: ac quemadmodum nos veritatem inſectantes nitimur, non autẽ ad diſsidium illi excitentur, trahantúrque, (vt mali hominis eſt mos.) Neque profectò cenſendũ eſt Raſim præclarum ſanè virum, tam temerè, támque inconſultè, mentis ſuæ decretum quale ſuperius exiſtimatum eſt, propalaſſe: tametſi ex expreſsis Raſis ipſiuſmet, cæterorúmq; appoſitis ſeriebus ſeſe cõcomitari videantur. quippe ſi medullitus magis, animóque à contradictionis deliciis ſedato, penetralior eius animi conceptus aſpiciatur, tum ſuperioribus, tum aliis pleriſq; ſcripturis, eum nõ ita affatim ſenſiſſe planiſsimè cõſtabit. Nec eum virum alterationem, concoctionémque, ac præparationem, tanto vilipendio omnino habuiſſe diiudicandũ eſt (vt ſcribitur) quando eam poſtmodum extulerit his ſcriptis: Dico iam magnificauit Galenus conditionem alterationis hoc

Raſ. 31. cont. tra. 1. cap. 2.

ſequendo cum efficacia locutionis, & hoc manifeſtum eſt inter alia dicta eius, quia in veritate non eſt modicæ vtilitatis in cura alteratio complexionis: imò eſt quaſi introductorium maximum in ea, quia duo ſunt fundamenta curæ, ſcilicet alteratio complexionis, & euacuatio, ſed alteratio complexionis opportuna eſt, & plus communiter debita, in pluribus locis quàm euacuatio. Et modus æquitatis appetit, quòd vbi poteſt alterari complexio cũ medicinis, non debet ibi fieri euacuatio: verũtamen vbi hoc fieri non poteſt, opportuna erit euacuatio in primo, dum diminuatur quantitas cauſa morbi, deinde fiat alteratio cõplexionis, & etiã in diſpoſitionibus carentibus materia, nõ erit opportuna niſi alteratio complexionis tantúm. Ex huiuſmodi quoque ſcriptionibus liquet quónam pacto ſuperiores pro eius mente contextus, eorúmq; ſenſus intelligi expediat: atque idipſum, quod æquum ſit, vt concoquatur, quum cõcoqui poteſt materia, veluti huiuſcemodi ſerie antehac citatã præcedente, in tractatu nono reliquerat. Dico ego, quòd alterantia complexionem non ſunt adminiſtranda, niſi quando cõplexio, cuius alteratio quæritur, habet ſuam materiam diminutam, tunc enim vtile eſt cu-

Raſ.30. cont. tra. 9.cap.2.

rari

rari in alterãdo complexionem: ſed quum quæris alterare complexionẽ materia exiſtente multa, non eſt poſsibilis alteratio tota, & quod in hac febre opereris cum caliditate, ſua verò materia eſt melancholia, & eſt potens, caliditas quoq; fortis, & multa: poſsibile eſt, vt febris ſit fortior, nam materia eſt fortis, & agens in ipſam eſt forte. Sed quum materia debilis eſt, vnum duorum accidit, aut enim euacuatur, aut per caliditatem diſſoluitur, propter quod redierunt iſtæ medicinæ ad hoc, vt dentur in potu in fine rei, tunc enim pauca eſt materia, & conferunt hæ medicinæ ad complexionem alterandam. non eſt autem cõſilium euacuationem dimittere, quum eſt poſsibilis, & ſaluabitur patiens, prolongabitur enim tempus, & ſi aliquis vicibus aliquibus melancholiam euacuaret, quum certificatus eſt febrem eſſe quartanam, & poſteà ſumantur alterantia complexionem, erit hæc intentio meliori intentione illius, qui expectat alleuiare naturam cum digeſtione, & ſecundum plurimum eradicabitur febris omnino cum euacuatione ſola, præter quòd neceſſe ſint medicinæ alterantes complexionem. Vidi enim eum, qui purgationem ſumpſit, per quam laxatus eſt quindecim vicibus, & poſt hoc

non ſtetit febris eius, erat tamen hæc febris quartana. Atque deinceps adiecto, quod ſæpius admonuit Galenus, videlicet, quòd cronicæ paſsiones paulatim ſecundum digeſtionem humorum diſſoluuntur, maximè quum minoris quantitatis fuerint, & malitiæ. hanc deinceps adiecit ſcriptionem, Dico per hoc firmatur quòd euacuatio opportuna eſt, quotiens humores fuerint abundantes, licet fuerint crudi, & groſsi. Et quòd Raſis coctionem admittat (ſaltem in pituitoſa febre) palam fit, quum de eius curatione reliquerit, Dico, de hoc dicto te ſcire oportet, quòd non debes expectare cum euacuatione digeſtionem in aliqua febre, præter quotidianam, quum digeſtio aptet humores, vt fiant in ſanguine: & nullus humor poteſt tranſmutari ad ſanguinem niſi phlegma tantúm. Atque vndecimo deinceps tractatu, Dico ego, intentio in hac febre eſt ad laxandum, & euacuandum, & ad digerendum reſiduum cum regimine ſubtili: & reſiduum quod eſt intra venas, expellere per vias vrinæ, quia in phlegmate nihil eſt completius, quàm prouocare vrinam: cauendum eſt ab hoc autem, quando adeſt acuitas. Inſuper & has eiuſmet conſideranti ſcriptiones de-

Raſ. 31. cont. tra. 1. cap. 2.

Raſ. 30. cont. tra. 3. cap. 2.

Tra. 11. cap. 2.

relinq

relinquetur perſpicuum, quòd quando in partiali membro concluſa eſt materia, mouetúrve ad id, vt concludatur, concoctionem edoceat expectandam. Is nanque quartodecimo citati libri tractatu, iſto ex Hippocrate præmiſſo, quòd non expediat à principio phlegminantem euacuare particulam, ſic addidit, Dico, notificauit hoc quod debet fieri expectatio digeſtionis in laxatione penes apoſtemata, in vlceribus, & ſimilibus, non in febribus: quum humor in febribus ſit excitatus, & natans ſemper, niſi febris ipſa ardens fuerit ex aliquo apoſtemate. Clareſcit & demum (vt eius tandem ſcriptionibus ſtatum firmemus) Raſim quoque primitus ad humorum expurgationem corpus adaptaſſe, ad idque diligenter commonitos feciſſe, & clariſsimè quarto ad Almanſorem libro ſic exarantem. Etiam ſummopere obſeruandum eſt, ne quis medicinam ſumat ventris ſolutiuam, niſi prius ventrem cum iuribus mollificauerit vnctuoſis, & balneum per duos dies ante acceptionem ingreſſus fuerit, & corpus balneo multa aqua infuderit, & in ipſa ſederit, & ſyrupum acetoſum biberit. Hæc igitur dicta ſint volumus, ne ex adſcriptis incongruè, falſóque, is de

Raſ. tra. 14. cap. 2.

Raſ. 4. ad almã. cap. 15.

celeb

celeberrimorum numero præclarus vir, tantopere damnatus habeatur: Nec in reprobos omnino ſenſus ob aliorum incuriam perducantur præſcripta. Et his tum exiſtimatarum opinionum hiſtoriæ, tum ſecundi ſegmenti claudantur intenta.

*

# TERTIA
## SECTIO.



NAXAGORAS ætate quidem prior, Empedocléſque poſtmodum exactiùs, Italorum philoſophi primi, Pacem, litémque, inter primaria conſtituentia mundum principia adnumeraſſe haud veriti ſunt: quoniam quæcunq; res ob amicitiam primitus confuſæ erãt, & ceu quoddam chaos indiſpoſito ordine coëxiſtebant, poſtmodum tam diſtinctę, perpulchræq;, ob litem conſpectæ fuerint. Verùm non ob illam profectò litem, quam frequentiſsimè infeliciſsimo hoc ſeculo commordere, paſsímque inter viuentes graſſari, conſpicimus inuiti: atque qua maximas dilabi res, ſubuertíque, deprehendimus continuó. Lis ſiquidem hęc ab amore verè elementorum altero abiuncta, in abſurditates, in pernicies, in corruptiones, denique ad malorum omnia corruere molitur. Sed illa quæ mũdum procreat diſcordia, nulla vnquam pacem deſerit momento, quinimò veluti quæ primæua credita parens eſt, demulcens, placidéque decernens, quæcunque amoris ignauia compacta, ac rudia, indi-

ſtinct

ſtinctáq; fuerint, vniuerſas res veraci amoris beneuolentia ſimul adunit, atq; decernit, elegantioríque quo fieri potuit ordine commonſtrat. Hinc omnium natura conſtantium (vt breuis oratio ſit) ſimilitudines, eſſentiæque, ac commiſta quæque cernuntur, & hæc inquam verè lis eſt, quæ omnia ſeparans, cuncta cõnectit: hebetéſq;, ac ſegnes actiones corripiẽs, roborat, perficítque: ac quæcunque aguntur amore, colluſtrat. Huic non omnino diſsimilem appellare liceat genitricem illam, quę tum obiurgationibus, tum minis, tum & flagellationibus, ad opera quæq; proba ignauos euocat natos, atque vt optimi illi euadant, ſatagit, euigilat, inſudátque. Hanc profectò diſcordiam quicunque de ſapientia, veritatéque aut bono quoquam inquiſierunt, ſiue morales, ſiue ſapiẽtes fuerint, ſyncerę veritatis ſtudio perſpexerunt: quoniam hanc optimum inſtrumentum ad rerum indagationẽ exiſtimarunt viam. Verùm illa priſcorum veritatis inueniendæ intentio, noſtro tempore fermè deleta eſt: & inanis gloriæ, arrogantiæque, & tuendi tum propriam ſententiam, tum aliorum, à quibus falſo accepta eſt ipſa opinio, regnat affectus, adeò vt propè dicendum ſit, quòd hominũ quamplurimi apparere potiùs,

tiùs, quàm existere sapientes cupiant, & proinde eisdem consequentia sophistica scriptis committant. quod certè quamuis in cæteris negotiis, quæ ad vitam nostram non derogant, bona cum venia concedatur, quinimò non absque nonnullius laudis merito contingat, præcipuè quòd ad vlteriorem disquisitionem sapientum excitentur animi, expergiscantúrque, atque proferantur ob hoc. Attamen in medendi methodis, quàm dispar, exitialéque id sit, neminem arte medica præditum effugit: præsertim si ad crassæ mineruæ animos gnauósve artis medicæ tyrunculos, huiuscemodi aut scriptis, aut verbo tenus perueniãt, & potissimùm in hoc proposito à nobis dubio, in quo si recto nõ incedatur calle, quàm maximè perniciosum fore ille diiudicet, cui frugi virum esse in huiusmodi datum est. Equidem si iubeas ô medice, exoluens propinari pharmacũ, quando nõ conuenit, quídnam aliud inde quàm malum pertimescendum est? profectò auxilia, medicamentáq;, quæ doloris causa dantur, semper tutò propinantur, si quemadmodũ scribitur, porrigas. at medicamẽta quę bilẽ pituitámq; purgãt, periculosa sunt, causaq́; his, qui curant, datur: quare maximè ea cauto, & obseruato. Turpis enim est cala- Hip. 1 de pass.

mitas,

Hippo. de purg. me. mitas, medicamento purgante dato, hominem occidere. Verùm quum accelerare quoduis fortiorum auxiliorum necessitas arctat, si debilius administrari iubeas, nocuũ est admodum. atqui si moram (vtpote segnior) protrahas indecentem, tardéq; suppedites auxiliarem operam, vel homini prorsus moriendum est, vel de salutis discrimine certandum. Veluti, si post venam ruptam phlegmone iam pulmonem occuparit, non est, quòd speres hominem sanandum propter ipsas, quas paulò antè comprehendi rationes, quare amplius opera tua non egebit, proditus videlicet per te inter initia. Quippe idem facis, quod gubernator, qui vbi per eius incuriam euersa nauis est, vectorum cuipiam asserem in manum dat, indéque salutem comparare suadet. Curatio siquidem non opportuna, malum robur habet, quæque statim curanda sunt, si meridie, vesperéve, vel nocte curantur.

Galen. 5. meth. 7. cla. 36. C.

Hip. 1. de mor.

Igitur recto procedendum tramite est, quum vndique & ægrotantibus angustiæ, & obitus, & medicis dedecora, & turpitudines, ob eorum inscitiam affatim immineant, ac emergant. Rem ergo secundum aphorismorum mentem diffinire oportet, scrutarique quum in principiis

purg

purgatione vtẽdum ſit, & quum morbi coctio expectanda ſit: qui autem vel principio ſimpliciter dixerit, vel neutrum diffinierit, fallitur. Quicunque attamen perperàm intellectam ſententiam adſcribunt ſapientibus, duplici delinquunt peccato, videlicet, & quòd præclariſsimis viris detrahant, derogéntve: & quòd ſub dogmate eiſdem adſcripto tum ſeſe in operibus artis iniquiùs exerceant: tum diſcipulos ſe. ipſis nequiores alant: atque multiplicem numerum adaugeant, ſe præclariſsimorum authorum intenta tenere prædicantes, illóque ſeſe tuentes præſidio, quo fit, vt paſsim mala coinnaſcantur quamplurima. Gratias attamen quàm maximas habemus quibuslibet, qui aliorũ quomodolibet exprompsêre ſententias: illi nanque (quanquàm aliqua de cauſa perperàm iudicarint) animum attamen noſtrum ad veritatem tutandam excitarunt, enucleandámque, ac propalandam. Nec in diſcordiam id quod nunc pertractatur quæſitum reuocare placuit, vt diſcordiam illam proſequeremur malam (veluti à plurimis fieri conſueuit) imò verò plerique ſunt, qui licet quandoque communis illa omnibus notio euidentiſsima ſit, velint tamen in ſua ſententia perſiſtere, ſimuléntq; ſe certã

Gal. 4. in acut. 7. cl. 139. A.

Gale 9. de Hippo. & Pla. De. 1. cla. 281. A

fidem illis adhibere, quæ temerè protuſe-runt, vt ſuæ quiſque ſectæ decretum ali-quod confirment. Sicut ecõtrariò, alij qui-dem inueniuntur, qui in improbanda alte-rius ſectæ oratione ſponte mentiri nõ eru-beſcant: is enim mos eſt eorum, qui aliquã ſectam profeſsi ſunt, vt omnia etiã ſi nul-lam cum principiis, atque elemẽtis, neceſ-ſariam coherentiam habuerint, ſibi defen-denda proponant. Quinimò hoc in mediũ allatum eſt dubium, vt per hoc diſsidium adinuenta veritate, diſsidium tollatur vni-uerſum. Mentis igitur noſtræ hæc ſumma eſt, quouis alio prætermiſſo animi affectu (quoad dabitur) veritatem expromere: quod fieri poſſe haud ambigimus, ſi præ-excellentiſsimorum ſapientum, Hippo-cratis, Galeni, Auicennæ'que, quos imita-ri profeſsi ſumus, profitemúrque, verè vnã, eandémque in ſcopo præmonſtrauerimus eſſe ſententiam, atque ſi prius in ea propa-landa vniuerſalibus methodis enarratis, dehinc ad exercitamenta ſecundum eas deſcripta deſcẽderimus. Quippe ex exer-citationibus illis plenisſimè cõprehẽdetur quónam ſenſu, quáq; ratione, vniuerſales illæ prolatæ fuerint methodi. Sed iam ad propoſitũ accedamus negotiũ, hoc primi-tus reſcripto: Non eſt igitur ad ea, quę nũc

gal.7. metho.7. cl. 44.B.

ordimur, iis, qui prudentes naturâ ſunt, ac cogitationem in primis excitarunt, multis prætereà opus. Quòd ſi in prauæ doctrinæ ſecta prætereà ſit altus, hic geminũ tempus requirit: alterũ in quo prauas opiniones dediſcat, alterum, in quo melioribus ſe exerceat. Hoc igitur commemoratu dignum eſt, quòd tametſi inter noſtræ ætatis medicos præſertim de fortiter educentibus, mediocribúſque pharmachis, diſſentiatur, ſermo tamen noſter etiam de debilibus, ac lenientibus aliquantiſper habebitur, præcipuè quoniã & lenientia iſta litigioſa hac non vacent conditione: Idq́; etiam memoriæ commendandũ eſt, quod in ſequenti huius tractatus narratione vniuerſales de euacuationibus ſingulis cõcluſiones ſcribentur, ad morbi horas, ætatéſve, duntaxat habito reſpectu, ac prout vniuerſalia diffiniuntur tempora, & potiſsimùm quando à ſymptomatibus non impediãtur, virtutéq;, atq; ab aliis, de quibus poſt diſſeremus: & adeò diſtinctè de his omnibus dicere propoſuimus, vt quicunq; etiã mediocriter in arte medica imbutus (dummodo docilis animi ſit) omnia, quæ adiicientur faciliter ſit deprehenſurus.

Nempe hic Commentarius non horum modò, qui in ſermonibus ſunt exer- Gale. 4. in acut. 7. cl. 119. B.

citati, verum quoque & eorum qui exercitati non ſunt, tum liberalis, tum benignitatis plenus exiſtit: & ſi quis præfatas diſciplinas neque didicerit, neque expertus fuerit, aliud quippiam agat. Et proinde vt planiùs ſequentia eſſe vera perſpiciatur, haud latêre id ſanè debet, quòd morbifica quælibet intemperies vel ſola ea ſit, vel ex
Auic.1. 1. doc.3.c.1. cõplicatis octo: Aut eſt ſine materia, quod quidem eſt, quum complexio corpus qualitatem ſolummodo afficit, ita quòd corpus hac qualitate nõ afficiatur propter humorem in ipſum penetrantem, qui hãc habeat qualitatem, ad quam immutatur corpus, nec fiat niſi cum caliditate eius, qui caleſit ad ignem, aut frigiditate eius, qui ad niuem infrigidatus eſt. aut cum materia, quod quidem eſt, quum corpus non afficitur qualitate eius complexionis, niſi propter vicinitatem humoris in ipſam penetrantis, in quo hæc qualitas ſuperabundãs
Gal 9. meth. 7. cla. 6 1. G. exiſtit. Quamobrem ſic dereliquit Galenus: Eſt igitur vnum morbi genus quod ſimilares ac ſimplices, animalis vexat partes, quam intemperiẽ vocãt. huius aliquas differentias ex corporibus nuda qualitate alteratis prouenire docuimus: aliquas cùm materia quapiam, quæ in ipſa cõfluit, rurſúſq; ambas incidere, vel in vnicam ani

malis

malis particulam, vel plures, vel & totum corpus. Itidem & de inæquali intemperie Commentario ad principium, pluriésque alibi. Verùm hîc ea non adnotamus ob id, quòd nostra intentio non sit in quouis proposito, omnia ad confirmationem adducere Galeni scripta, ea causa, vt multa vidisse videamur, quemadmodum solent quamplurimi. Sed duntaxat paucula ea inserere placuit, quibus vt passim continget nostrum firmetur propositum. Inde ad institutum redeuntes & id scire necessum est, quòd quæ ex eis quidem sine materia existit complexio, tantum permutatur, sed si cum materia fuerit, ipsa euacuabitur. Nam & artis medicinalis tertio sic asserit Galenus, Illud verò manifestum, quòd earum, quæ intemperaturam efficiunt causarum, curatio fit per euacuationem, nam ipsæ intemperaturæ sola alteratione sanantur. Deinceps verò & sciendum, quòd ægritudines vel acutæ scribantur, veluti quæ ex calidioribus fiunt humoribus, vel non acutæ, ceu quæ ex frigidis, crassísque gignuntur. Sic attestante Galeno. Duplex est autem morborum natura. Vel enim in humoribus calidis solis, qui nullum obsedêre locum, sed æqualiter in omnibus animalis partibus apti sunt ex sua natura gener

gal.3.cla. 44.

Auic. 4.1. cap.2.

gale.3.ar. med.isag. 71. A.

gale.2. aphor. 19. Ext.14.E.

nerari, vel loco aliquo patiente fiunt vt in morbo laterali, pulmonia, inflammatione, angina, & omnino in acutis morbis sunt febres continuæ. Rari enim sunt ex ipsis, in quibus febres nõ adsint, vt morbus attonitus, quem Græci ἀποπληξίαν vocant: morbi verò longi ob crassos, lentos, ac frigidos, fiunt humores, qui nõ facilè concoqui possunt, & in patiẽtibus partibus impacti sunt, atq; agglutinati, ita quòd eorũ dispositiones magis præduris tumoribus, quàm inflãmationibus assimilantur: Insuper & adnotandum, id est, quòd cùm vel à materiei defectu, vel à plenitudine, morbi nascãtur, & Quicunq; morbi ex repletione fiunt, curat euacuatio, & quicũq; ex euacuatione, repletio: Non oportet quæ infrà scribentur, de quibuslibet morbis simpliciter intelligi, quoniã nec ita profectò ea intelligenda proferemus: sed duntaxat de his, qui à plenitudine fiunt, nec adhuc de omnibus his, quoniam Non si quod factũ est ex repletione, neq; ipsa amplius existente, si quod remanserit, curat euacuatio; sed quæcũq; eo ipso, quo fiunt tempore, curare aggredimur euacuatione indigẽtia. Et veluti rectè à Principe dicebatur, Vacuitas itaq; sine dubio euacuationẽ fieri prohibet. Cæterùm & id memoria repetendum

Gale. 2. aphor. 22. Ext. 15. E.

Gal. supra

dum est, quòd & de vniuersalibus, & de partialibus morbis, quæ assequentur propositiones describuntur, iuxta attamen inter eos proportionem, vt explanabitur deinceps. At à faciliori rei huius parte desumatur initium.

## DE LENITIVO.

DE lenientis igitur vacuationis modo hoc affirmamus, Quod antequàm tota materia cõcocta sit, lenienti medio fieri vacuationem concedatur. Nãq; ex hoc lenitionis genere nullum incommodum ab aliis purgationibus cõsuetũ, leuissimúmve, emanare palam est: quoniã idipsum leniens ex medicinis nõ angentibus, vel parumper afficientibus, effici comprobatur. Quinimò eiuscemodi reperiãtur quãplura feruefactũ à febri refrigerantia corpus, & ex cõmunibus viis, purgatúq; facilioribus, materias cõmunes duntaxat inanientia, cæteris obmissis superfluitatibus: siue ipsa hæc operatio per ea, quæ ore sumũtur efficiatur, siue per ea, quæ per sedem iniici consueuerunt, quouis libuerit modo, vel fluxilia, vel solida, vtraque ea constiterint. Et quòd insignia illa nobis suprà commemorata medicorum lumina iuxta

eam ſententiã ſeſe in artis operibus exercuerint, clareſcet in ſequentibus pauculis, quæ noſtro tractatui deſeruientia clariùs inſeri libitum eſt. Non iniuſtè attamen hoc adnotamus, quod cæteris quoque tractandis rebus confert documento, id ſcilicet, Morbos à putredine exortos aut vniuerſales, aut partiales extiterint, ex quatuor humoribus humanum conſtituentibus corpus accidere, vel ſimplicibus exiſtentibus, quod rariſsimum: vel admiſtis, quod frequentiſsimum, prędominio attamen cuiuſcunque ſuccorum inualeſcente, veluti Quòd tertiana febris ſi ita contigerit, ſit à flaua bile modum excedente, quartana ab atra, quotidiana à pituita, cancer ab atra bile, eryſipelas à flaua, atque ſingulæ aliæ morborum ſpecies. Differúntque viciſsim. Nam quę in ſola flaua bile febris accenditur ſine aliquo viſceris affectu, ſi quidem manente ad intra vaſa bile accenditur, exquiſita febris ardens nuncupatur: ſi verò per totũ corpus deferatur, tertiana. ſic etiam, ſi ab atra bile febris, quũ immobilis, illa quæ quarto quoque die excreſcit. ſicuti ſi ex pituita ortũ habet, vel quotidianæ ſunt, vel quæ ſingulis diebus accẽduntur. huiuſcemodíque ſententiam à Galeno fuſiùs videre licet ſecundo de differentiis feb

Gale. 1. aph. 2. Ext. 3. E.

Gale. 2. de criſ. 4. cl. 137. D.

febrium libro. Sed planè de febre sanguinis perscrutationem in his nostris haudquaquàm attingentes, hanc Auicennæ citandam esse existimamus seriem. Et putredo quidem choleræ facit tertianam, & quæ currunt cursu eius, & putredo sanguinis facit conclusam: & putredo melancholiæ facit quartanam, & quæ currunt cursu eius, & putredo phlegmatis similiter, vt multū facit quotidianam, & quæ currunt cursu eius, & sanguinis locus est intra venas, cholera autem, & phlegma & melancholia, quandoque putrefiunt intra venas, & quandoque extra venas: & quādo putrefiunt extra venas, si non est causa alia, neque est putredo in apostemate intrinseco, quod det cordi putredinem continuam, faciunt periodos, quos diximus. Et quæ postmodum prosequuntur quamplurima. Quatuor igitur iuxta humorum numerum existentibus morborum speciebus, de vniuersalibus ipsis huiuscemodi subscribantur cōtextus, Si nuper pasto cuipiā, & alui oneribus haudquaquā purgato, febris vel cū dolore, vel sine dolore, inciderit, à sorbitione tantisper est temperandū, donec cibum ad infernam intestini partē descendisse compertum fuerit. Quod & ab intestinis egredi, vt præcipiat censendum

Aui. 1.4. tra.2.c.1.

gale. 1. in acut.7.c. 114.D.

est,quòd aliôquin nil dogmaticum sanci-
retur.Scitur nanq;,quòd si eorum, quæ ab-
sumpta sunt,& grauant,excernātur, recta
Hip.4.de mor. procedet actio: Si verò cibaria plus,quàm
expediat in ventriculo maneāt, & alia su-
peruenient,corpus cōpleretur,venæq; ple-
nitate pressæ calorem,laborémq;, corpori
darent,per æstatem citiùs,per hyemē tar-
Auic.3.1. doc.2.c.7 diús. Quod enim in corpore est deterius,
est nutriens super nutriens, quod nō est di
gestum mittere.Secundum infra scriptam
Hip.1.in acut.7.cl. 113.F. igitur Galeni seriem illū Hippocratis con
textum intelligi necesse est.Statim siqui-
dem quibus cibus inclusus est, nisi quis
prius vacuato eo sorbitionem ita dederit,
maximam affert offensam.Quibus & as-
Auic.1.4. tra.2.c.8. sentiens Princeps ita subscripsit, Quúmq;
accidit febris,& natura est sicca, non cibes
penitus eum, dum non egrediatur perfe-
Hip.1.in acut.7.cl. 115.E. ctè fex.Atq; ita amplius Hippocrates adie
cit: At si nuper cibato cibus prior non
descenderit,virtúsque valida fuerit, & flo-
ruerit ætas,subluere oportet.Si verò vir-
tus imbecilla fuerit,glande est vtendum,
nisi aluus sua sponte probè deiecerit. Am-
plius & de vniuersalibus ipsis morbis ex
Hip.1.de pas. Hippocrate dicebatur,Per æstatē verò hęc
fiunt,vehemens febris habet,sititq;, quidā
bilem vomūt,quidā per inferna demittūt:
quib

quibus ſorbitionẽ, vel potũ, qui tibi cõueniẽs eſſe videatur, dato. Si verò bilis, pituitáve, cor vexarẽt, frigidã aquã, vel mulſam potato, vomitóque: vel mulſum ſi vẽter nõ demittat, lauatione, vel glandula, balanóve, vtitor. morbus autẽ hic bile fit, ſeptimani verò, nonariíve ferè liberantur. Si verò quũ febris habet nec ſupra, nec infra, purgetur: totúmque corpus laboret, quum tertianus, vel quartanus erit, medicina leuiuſcula, vel potione, ſubter purgato. Díxitque Galenus, Ergo à corporibus quę ſic afficiuntur, expellenda, quæ putruerũt per vrinas, & aluũ, & ſudores ſunt: quòd ſi ad os ventriculi aliquando ſua ſponte impetum capiant, etiam per vomitiones: aliter autem non eſt, quòd eam præter naturã irrites. ac eorum quidem, quæ iam dictas vacuationes promoueant, nõ parua materiæ copia eſt, ſed magna eorũ portio, quũ calida, ſiccáq; facultate ſit, febrem auget. itaq; deligẽda medico ſunt ea, quæ citra calefactionẽ, ſiccationémq;, valentẽ, ſuprà dictas vacuationes pręſtent, cuiuſmodi ſunt cremor ptiſanæ, & aqua mulſa, & oxymeli, & apomeli: & apij radix, & aqua, quæ potui datur incocta. Hæc autem ipſa ventri quoq; idonea ſunt: qui ſi nihil reddat, iniicienda per clyſterę aqua mulſa cũ oleo eſt:

gal. 11. metho. 7. cl. 70. C.

ſanè

ſanè totũ corpus prius, quàm id vacuaris, rarefacere nõ expedit. Atq; & conſonus ita dereliquit Princeps, Deinde fac ſequi phlebotomiam ſolutionem ventris ſubtilem propriè, ſi fuerit illic ſiccitas, cum eis quæ ſunt ſicut aqua hordei cum ſyrupo acetoſo: & ſi natura non fuerit lenis, adde in eis quod eſt ſicut ſiracoſt, & ſic ſicut ſyrupus violatus, & ſit vltimitas lenificatio, non fluxus ventris, & non ſolutio laborioſa. Verùm quoniam ventris lenitionem & per ſedem iniectis, & per os exhibitis medicaminibus fieri poſſe præmiſſum eſt, quæcunque potius ad hoc vſualia præſtarent, ita ſubinde manifeſtauit inquiens, Et magis dilectũ eſt apud me adminiſtratio clyſteriorum ſecundum menſuram, quæ indigetur in virtute. Et cõſimilibus medendo non Hippocratem ſolummodo, ſed & Galenum, & Auicennã, frequentius vſos fuiſſe conſpicimus dubio procul, his Hippocratis conſentientes firmiſsimè, Si venter non demittat ſubluito, glandulas, balanóſve, ſupponito in morbis omnibus. Et profectò laudabiliſsimum, ſaniſsimæq; mentis, tale exiſtit iudicium, árſq; id poſtulat, vt (quoad fieri poſsit) inferius iniectis auxiliis contenti eſſe debeant medici, cùm leuiora ſint, angántque paululum. Sed

Auic. 1. 4. tracta. 2. cap. 7.

Aui. ſup.

Hip. 2. de mor.

quon

quoniam quandoque, quinimo persæpius, vlteriora res exposcit adminicula, tum quòd non clysmis, similibúsque demittat venter: tum quòd infusa ad supernas corporis non ascendant particulas. quoniam quæ infusa sunt, ea omnia ad ieiunum vsq; ascendere nõ possunt, imò si admodum nitaris fortasse tenue tantum intestinum cõtingant. Non clysmis, glandísq; modò insistendum est, sed aliis vtendum, quemadmodum priores medici sese in operibus artis exercuerunt: & prout oportuerit, per superna exhibitis auxiliis idẽ valentibus. Verum ad propositum rursus redeuntes, particulariùs de conclusis sic scripsit Hippocrates secundo de morbis libro. Si verò febris die, noctéque non dimittat, tactúq; superiora calida habeat, ventrem autem, pedésque frigidos, lingua aspera sit, medicamentum huic ne dato, sed molliter subluito. Et infra, Si venter non demittat subluito, vel glandulam, balanónve suppo nito. Atque quarto de victus ratione in acutis, Quòd si os amarum fuerit, vomere confert, & ventrem subluere: verùm si ad hæc non aperiatur, lacte asinæ cocto purgabis. Hísque consimiliter ita Galenus, Quod omnino eam, quæ in ventre est, bilem vacuare præcipiat, timeat autem pur-

gal. 13. meth. 7. cla. 85. C.

Hip. 2. de mor.

Suprà.

Hip. 4. in acut. 7. cl. 134. G.

gal. supra

gan

gantia medicamenta,quòd & acria, & calida prorſus exiſtant: ob id ad lac aſinæ diuertit,vtpote quod nullam vt non aliud vllum,habeat acrimoniam:ſed præ omnibus vnum humiditate exuperat, atque ob id ſolùm vētrem ſubit.itidem & Princeps de febris ſanguinis curatione, Et oportet vt continuetur lenificatio naturæ cum illis,quæ ſciūtur de illis,quæ ſunt ſicut duorum granatorum aqua, ſcilicet dulcis, & muzi,vſq; ad eminam,& ſiracoſt,& tamarindi,& coliria leuia,de quibus diximus.

Auic.1.4. tract.2.c. 46.

De febre etiam bilioſa in primo de paſſionibus libro ſic ex Hippocrate ſcribitur,

Hip. 1. de paſſ.

Tertiana verò febris quum habet ſi non purgatus eſſe videatur,quarta die medicamentum dato:quo ſi egere non videatur, potiones medicas dato,quibus febris vel mutetur, vel deſerat: quemadmodúmque in medicamentario ſcriptum eſt dato.die verò acceſsionis ſorbitione,potúque nutricato,diebus autem intermediis cibis lubricis.Atq; in arte curatiua de tertianę febris cura ſic exarauit Galenus, Hunc igitur quum ad ventriculum repit, per vomitum educere oportet: quum verò vergit ad inferiora,per inferiorem excretionem, hoc quidem & ſponte fieri ſolet, in tertianis exquiſitis. Et de tertianæ nothæ

Gal.1.art. cur.7 cla. 97.C.

cur

cura, Et quidem oxymeli plurimos iuuat, & aliquid ex his, quæ molliter ventrem ſubducunt, quibus me aſsiduè vti nouiſti. Sed amplius Auicenna ſic ſubſcripſit, Imò oportet, vt properes in primis & lenias lenitate quadam cum eis, quæ diximus illic, ſicut ſunt tamarindi quantitate quadraginta drachmarum, qui infundantur in aqua calida in nocte, & colentur, & proiiciatur deſuper ſiracoſt, aut tereniabin, & aqua duorum granatorum, & ſequentia, vſque: Rectum nanque eſt, ne in potu detur quod eſt ſicut ſorbitio hordei, nec ei ſimile, neque cibi, niſi natura iam lenificata.

Gale. ſup. G.

Auic. 1.4. tract. 2. c. de cu. ter. pur.

De pituitoſa verò febri quum paucula à priſcis illis noſtris derelicta ſint, paucula etiam hæc deſeruientia eius propoſito deſcribentur. Primò igitur de paſsionibus iuxta Hippocratē habetur, De hyemalibus febribus, Quarum obſeruatio, cuſtodiáve, ſit, quies, macies, & vētris vacuatio: ſorbitione, potúq;, donec febris minuatur, producito. Et ſecūdo de morbis, Quos potionato, ſerum & lac aſinæ potato, ſi ſerum potet medicamentum infra multos dies præpotato, quum ſerum amplius non potabit, lac aſinæ poſteà potato.

Hip. 1. de paſſ.

Hip. 2. de mor.

Et hæc pro variis vacuationum mediis

de

de lenienti,ac minuenti,ſaltem accipi non ambigendum.& à pari Galeni primi artis curatiuæ compendioſiſsima hæc, His etiã quæ pituitam ſubducunt, vtendum. Veluti in eo ſenſu & clariora, & fuſiora, ſuis reſcriptis reddidit Princeps, atque quarto canonis de cura phlegmaticæ interpretatus eſt. Sed cæteris obmiſsis nunc, vt poſtmodum in minuendi modo optimè deſcribantur, intento leniendi modo deſeruiant iſta. Et omnes ſpecies communicant in hora principij in tribus rebus, in neceſsitate, lenificationis æqualis, aut vomitus,& in adminiſtratione ſubtiliãtium & incidentium,& diureticorum. Et deinceps tum eodem capite,tum ſequentibus, de phlegmaticarum febrium modis, conſimilia intueri licet.

gal.1.art. cur.7.cla. 98.B.

Auic. 1.4. trac. c.57.

De quartana quoque ſecundo de morbis ſic ab Hippocrate ſcribitur, Quũ quartana febris habet,quæ quidem alio morbo non purgatum corripiat, medicamentum infra potato: poſteà caput purgato, deinde etiam per inferna purgato. Hæc autem primo artis curatiuæ ſic interpretatus eſt Galenus,de cura quartanæ, Deinceps de quartanis dicemus,quas etiam ab initio mediocriter,& leniter tractare oportet,nullum forte medicamentum, aut vacuat

Hip. 2. de mor.

gal.1.art. cur.7.cla. 97.

cuat

curationem, exhibentes, nisi fortè sanguis vehementer superabundans appareat. Et infrà, Optimum ventrem quantum possibile est, mollem facientes his, quæ visitata sunt. Quibus & subscriptum de quartanæ cura capite ab his Principis est, Verùm omnibus speciebus suis sunt indicia, in quibus communicant, & illud est, quoniam in omnibus earum fit euacuatio in principio. Et deinceps, Oportet ergo vt non laboretur in principio, & principiis digestionis, vsque ad aduentum complementi digestionis: & fiat euacuatio superfluitatum cum eo, quod calefacit cum fortitudine, neque cum eo quod exsiccat cum fortitudine, ex medicina, & dimissione ciborũ, neq; cum eo, quod debilitat ex solutione ventris, neq; cum eo, quod debilitat in principio ex subtiliatione regiminis. Sed de hac re in eodem capite, vbi de quibuslibet quartanis ab humorum vnoquoq; dependentibus agitur, fusiùs videre licet: cõsimilitérq; & de his, quæcunq; ad diminuentis pharmaci modũ attinent, quemadmodum & inferius à nobis plurima tractabuntur. Cæterùm, quòd in partialibus morbis prisci illi medici optimi eã leniendi methodũ, vt dictũ est, exercuerint, quibuscunque intueri licebit ex Hippocrate

Auic. 1.4. tra.2.c.65

libris de morbis, ac paſsionibus, atque ferè in omnibus locorum à Galeno, Principéque, vbi de particularium morborum medelis documentum exprompſère. Sed vt his lenientibus finem imponamus, ne iuſto longior protrahatur oratio, potiſsimùm quando de eis nō admodum diſſentitur, hæc ex Hippocratis ſenſu à Galeno quarto de victus ratione in acutis conſcripta, huc deferantur, videlicet, Quàm citiſsimè clyſterem exhibere, & vomitum prohibere, præcepta ſunt communia omnium, quæ in ventre præter naturam cōtinentur, & quæ vt excernantur, apprimè contendimus. Et infrà, Oleum quæ acria ſunt lenit, placátque, & ſiccitatem emendat, ventrémque moderatè ſubducit, quibus omnibus ei, qui curatur, eſt opus. Solet autem ſæpius oleum non ſolùm ad vomitum irritare, ſed etiam ventrem molliorem facere: eſt autem hoc non paruum bonum præſentibus rebus, quare niſi ſponte accidat, arte procurandum eſt: præcipuè verò in appoſitis hoc tentandum eſt facere. Igitur, Si feceris quod dictum eſt, & dolor non ſoluatur, contriſtantis cauſæ maiorem eſſe acrimoniam exiſtimandum, atque ob id corpus purgare oportet. Lacte aſinæ vtendum præcipit, quod purgantia inter

Galc. 4. in acu. 7. cla. 145. H.

Gal. 1. art. cur. de cu. cōt. 7. cla. 99. E.

Gal. 4. in acu. 7. cla. 146. A.

inter medicamenta omnia, mitius, tranquilliúſque exiſtit. Ventrem autem moderatè ſubducere, atq; quæ in ventrem continentur, concoquere molitur, ſubducetur autem mediocriter aqua mulſa, & per requiem cõcoctio fiet: qui autem in affectionibus huiuſmodi ſæpius valenter auxiliatur, is cacochymiam valente medicamento affatim expurgat: vires contemplatus, ægri habitum, anni tempus, ætatem, & cõſtitutionem. Et demum planiſsimum accipiatur, quòd vacuatio quidẽ excrementorum omni febri eſt vtiliſsima. & de lenienti modo ſufficiant hæc.

Gale. ſupra.

Galen. 10. metho. 7. cla. 66. D.

## DE MINORATIVO.

DE Minuenti etiam vacuationis modo firmiter aſſerimus: quòd antequàm tota materia concocta ſit, minuenti pharmaco vacuare conueniat. Atque vt id innoteſcat, ſcitu perdignum eſſe diiudicatum eſt, quoſcunque morbos purgationem poſtulantes ex putri materia, quæ quomódolibet affecta malitiam acquiſierit, originem deducere, ídque ex Galeno methodi vndecimo clareſcere conſpicuo, & proinde quoniam dicebatur ibidem, Oſtenſum eſt, vbi morborum cauſas

Galen. 11. metho. 7. cla. 69 D.

reddidimus, illa tantùm putreſcere corpora quæ quũ calida, humidáq;, natura ſint, neq; perflata, neq; ventilata, in calido, humidóq; loco maneãt: quòd ſi in motu ſint, ventilentur, ac perflentur, poſſe ea non putria, integráque ſeruari. potiſsimùm quæcunq;, corpora ſua ipſorum natura reguntur, vt animalium, & ſtirpium. Tanquam igitur in his corporibus, quæ non viuunt & putreſcunt, primùm quantum eorum computruit ſeparant: dehinc ei quod reliquum eſt, in frigidum aërem ſublato perſpirationem refrigerantem moliuntur, ita vtiq; & putredinem, quæ in viuis eſt orta, ſanabimus. id ſcilicet, quod iam corruptũ eſt, omni ratione vacuantes: quod reliquũ eſt, moderatis motibus, & refrigerãte perſpiratu, ad exactam ſymmetriam reducẽtes. Verùm inter mortuũ, ac viuens, id intereſſe cenſendũ eſt, quòd in putridis illis inanimis ſolum cõſilium exiſtit, videlicet portionem putridam omnino, ſemiputridámq; abiiciendi: quod nõ putruit autem, præſeruandi. Sed in viuentibus non ſimiliter: quinimo quod putruit, ſolũmodo auferendum eſt. quod verò ſemiputret adhuc quibuſlibet præſeruationibus cuſtodiendum, reducendúmq;. Ideóque ſiquidẽ quod putreſcit ſi veſtis eſſet, aliúdve inanime

Gale. ſup. 70. B.

Gale. ſup. E.

corpus, vtique ex his duntaxat quæ prædicta ſunt, indicationem caperemus. Nunc quum in viuente corpore putredo cõcipitur, quæ tum alterare poteſt, tum concoquere, tum vtile reddere, quicquid putreſcentium ſemiputreſcens, ſemimalúmque eſt, vtique facultatem eius, qua naturaliter concoquit excitans, firmánſq;, quæ putreſcẽtia ſunt, ſanabis. Animaduerſione attamen ſemper perdignũ ſit, quòd quũ pharmaco euacuanda quæpiam extiterit materia (quoad fieri poſsit, præſertímq; in non intermittentibus febribus) deligẽda à medico ſunt ea quæ citra calefactionẽ, ſiccationémq;, valentem, ſupradictas vacuationes præſtent, cuiuſmodi ſunt cremor ptiſanæ, & cætera id genus ſimilia. Itidémq; in intermittentibus obſeruandum: quòd ſi eis abſolui id nõ poſſe exiſtimetur, inteņſiora gradatim deligentur. Nã vbi quę obſtruunt deterſa, diſſectáque ſunt, per aluũ, vrinas, & ſudorem, ea vacuare tențandum. Quum verò materiæ, quæ hoc efficiunt, etiam calidæ ſint, neceſſe eſt intereà tum putredinem augeri, tum febrem. Quare quoad licet id agendum, vt quæ minus calfaciat, materia deligatur: aut ſi qua inueniri poteſt quæ non calefaciat. Succos igitur ab eorum natura deſcendentes, pu

Gale. ſup. D.

Gale. ſup. 71. B.

tredinéque correptos, diminuendos esse constabit: si prudentis animi iudicium æqua trutina perpendatur. Eos verò qui semiputrescentes, semimalíque fuerint, reſtificandos, atque ne ad vlteriorem delabantur putredinem, præseruandos, eosdémque demum euacuatoriis pharmacis, quum seruantia remedia minimè profecerint, extra pellendos. Et in his omnibus si inducias concesserint, à debilioribus, minúsque calefacientibus auspicandum. In eáque dicebatur sententia à Galeno. Prætereà, quum febres & ex humorum putredine oriantur, non paruam diligentiam adhiberi oportet, vt quicquid ex ipsis concoqui possit concoquatur, & quod iam exustum sit, neque amplius concoqui possit, euacuetur. Et re vera (cauillis quibuslibet abiectis) ita Galenus in suprà citatis intellexit contextibus. penes cuius veritatis semitas peritiores omnes medici, qui post veteres illos tres, quos imitandos proposuimus, incesserunt, hactenus euacuationum modos (cæteris adnuentibus) exercuerunt. Hanc attamen sacrosanctam priscam medendi methodum plerique ex neotericorũ schola medicis quampluribus abolere enixi sunt: & sub prætextu eo potissimùm, quòd hæc

Galen. in acu. 7. cla. III. C.

minuentia fortiorum eradicantium medicaminum naturam habeant. Veruntamen diminuentium pharmacorum vires intimiùs perſpectanti ſatis liquebit quæcunque de fortioribus pharmacis ab antiquis exclamata ſunt. incommoda non admodum verenda ſuccedere, (niſi fortè quiſpiam inſipiens medicus ad vehementiæ plurimum ea faciat declinare). Quòd ſi noxæ quicquam contigerit (veluti cæterorum aluum ducentium mos eſt)ea noxa mediocris erit, videlicet inter lenientium naturam, fortiúmque, atque in eo gradu quemadmodum & diminuentium pharmacorum gradus ad fortia procliuis exiſtet. Nec ab re tempeſtate noſtra minuentium pharmacorum modus, conuenientior vſui aſsignaretur etiam: tum quòd ſimplicia plurima modice purgantia, & abſque violentia, veneníſque ſeiuncta, non deſint,(Nunc illa dimiſſa inquiſitione, an eorum ſimplicium quæpiam, purgatoriæ'que eorundem vires, à Galeno cognita fuerint)tum quòd vſualia quamplura præſtò ſint compoſita, quæ vel non ex fortiſsimis conflentur, vel ſi fortia acceperint, contemperantium admiſtione molleſcant, atque corrigantur. Ac noxæ tum ab eorum

qualitate, tum naturis proficiſcentes, obtundantur, annihilentúrque. Quorum medicaminum tam ſimplicium, quàm admiſtorũ, validius ab aliis pertractata fuit ſylua: Et profectò in compoſitis noſtris minuentibus pharmacis excellentes purgantis ſimplicis hebetantur virtutes primæ: quæ potiſsimùm calidæ ſunt. & id fit quandoque refrigerantibus admiſtis, & quandoque vti mos eſt, adiectis ſecum vnà minus calefacientibus. Obmittentes etiã nunc quæſtionem, vtrum à remiſsiore ſimili augmentum in qualitate fiat, an ſecus. Prætermittentéſque diſputationem, vtrum à proprietate medicamentum educat, vt Arabum cenſuerunt periti, conſenſitque pluries Galenus an quoniam calida ſint, vt ſæpenumero quibuſdã propoſuiſſe videtur eundemmet Galenum, quum à re propoſita alienũ diiudicemus fore, & potiſsimùm, quando attractio vtro libuerit modorum fieri admiſſa, à contrariis impedietur commiſtis, his quidem qui à proprietate, vel ſui natura, ſoluere dicuntur, adiectis quæ ſuapte natura conſtringunt. Perinde ac ſi malo cydonio ſcammoniam intus miſcueris, quod vtique interdum facimus, partes mâli, quæ circa ſemen ſunt exculpentes, deinde cauitatem

Gale. 1. de ali. fac. 2. cla. 6. F

tem ſcammonia implentes, deinde affigentes, ac aſſantes, atque ita mâlum mandendum exhibentes. Quod nanque hunc in modum præparatum eſt, abſque ſtomachi ſubuerſione aluum ſubducit, facultate nimirum purgatrice. quam mâlum ipſum à ſcammonia acquiſiuit in ipſo vincēte, propria autem ipſius mâli manente, aliôqui nec iucundum, nec adſtringens, nec ſtomacho eſſet vtile. Atque his, qui à caliditate educere affirmant, ſi admiſceantur vel quę contraria participent qualitate, vel quæ in gradu debiliora exiſtunt, penes cuius rei ſenſum ita dicebatur, Ptiſanæ igitur cremor ſuperingeſtus commoditatem affert: nempe & detergere, & deorſum trahere, quod viæ adhæret, & qualitatem medicamēti, quod his adhæret partibus tum temperare, tum permutare poteſt. Præter hæc & in compoſitis medicaminibus his cenſendum eſt, quòd turbatio quæ à ſimplici purgante medicamento fieri conſueuit, nō minus refrangatur à ſecum adunitis corrigentibus, quàm factum fuerit in hoc, quod nunc à Galeno narratur præſidio videlicet: Deinde oſtendi ei iuuenem quendam, qui narrabat quum paucis diebus anteà, purgandi gratia ſuccum ſcammoniæ ſumpſiſſet, & horis quinque poſt ſumptū medicam

Gale. 2. in acut. 7. d. 118. D.

Gal. 2. de ali. fac 2. cla. 18. B.

dicamentum iam præterlapsis nulla sequuta esset excretio, stomachum quidem sibi premi, ventriculum autem intumescere, & grauari cœpisse. quas ob res attonitum se, atque animi incertum, symptomata quibus infestabatur mihi communicasse. Quónam igitur modo hominem sanauerim, audi inquam: iuuenem ipsum tunc protinus præsentem ei exhibui, ac narrantem vt ego imperarem sibi, exiguũ quiddam mâli astringentis, aut punici, mandderet, aut pyri: ipse autem simul atque comedisset, malis statim fuerit liberatus, copiosissima, ac conferta facta excretione. Neque re vera asserendum est, refrigerantium rerum admistionem non fieri secundum componendi normã à veteribus vsurpatam, eo indicio, quod secundo de victus ratione in acutis, dum de veratri, peplíque mistione describitur, haudquaquam frigidorum admiscendorum facta sit mentio: & tum quòd tractatu quos purgare cõueniat, in consimilibus rescriptis contrariorum miscelam inhibere videatur, potissimùm ita scribens: Oportet autem admista semina talia esse, quæ & medicamenti malitiam retundere, & eius opus impedire nequeant: quæ'que attenuare & incidere valeant, & vt crassos humores secare, &

Gal. quos pur. con. 5.cl.91.F.

re, & vias, per quas educi debent, aperire, & patefacere posſint. Oportet præterea, vt commiſta ſibi inuicem medicamenta conſentiant, neque vlla in re diſcrepent. Nam his profectò, Galeni obiicerentur iſta, quæ contra illos qui compoſitionem ex contrariis abnegabant. tertio methodi dereliquerat videlicet: Hanc ego componendorum medicamentorũ rationem primis illis medicis excogitatam arbitror, atque vt antiquum inuentum recipio. Cæterùm tantum eam à vera medicinali methodo abeſſe reor, quantò certè rationabilior eſt transfuſis in ſe mutuò cribris: quippe niſi illud primum cogitet, ſolius ſe compoſitionis, quæ ex ſimilibus ſpecie medicamentis conflatur, non eius, quæ ex contrariis initur, methodum dixiſſe. Non ambigendum igitur compoſitiones vtraſque, & quæ ex ſimilibus fit, & quæ ex contrariis, ex antiquorum ſententia prouenisse: quando vtriuſque, & ſæpe aliâs, & primo de compoſitione medicamentorum per genera, meminerit. Galenus ſcriptis his, Rurſus in aliis affectibus vnum medicamentum ſolum ex his quæ ſuapte natura proueniunt vſurpamus, cui tamen nonnulla adiicimus aliquando virium ipſius vehementię obtundendæ, inte-

Galen. 3. metho. 7. cla. 17. A.

Gal. 1. de com. med. per ge. 5. cla. 218. B.

rim insuauitatis mitigandæ gratia. Vsitata igitur sæpe à Galeno est per contraria correctio, verùm à posterioribus illo medicis perfectiùs pertractata. Nec ob id arguendus Galenus est, sicuti nec pariformiter in his Hippocrates ipse, qui (vt breuiter dicam) omnem ad medicationẽ viam aperuisse mihi videtur: sed ita tamen, vt ea curam, diligentiámque, ad absolutionem desideret. Non enim fieri potest, vt idem incipiat, ac perficiat. Et denique concedatur, in his correctis pharmacis minuentibus furiositatem ingredientium simpliciũ vel tolli omnino, vel diminui admodum saltem. Illud enim in medicamentorum misturis fieri sciendum est, puta singulorum, quæ miscentur virtutem non amplius conseruari, ita vt eadem maneat, nec mutetur, nec in nullam qualitatem transeat: sed quandam omnium vnionem effici, tota ipsorum temperie per tota mista, & vna quadam alia ex illis virtute profecta. Nec propterea, quòd calidum hoc simplex est, frigidum illud, esse in composito medicamento pugnantiã expressit Galenus: sed taliter, Discrepant autem quum nõ hoc bilem, illud pituitam trahit: vtraq; enim pari modo euacuationem procurãt, verùm si hoc celeriter, illud tardiùs, ab assumpt

Galen. 9. met. 7. cl. 59. B.

Gal. 2. de fac. nat. 1. cla. 395. E.

Galen. de th. ad Pis. 5. cl. 96. G.

Gal. quos pur. con. 5. cl. 92. F.

ſumptione purgare incipit. Inſuper nec ex compoſitorum horum minuentium exhibitione noxæ adueniunt illæ, propterea, quòd exoluentis ſimplicis in illo ingredientis tanta non exhibetur quantitas, quanta quum ipſum propinaretur ſolum. Quamobrem eſto in quadam aſsignabili quantitate miſtum id exhibeatur pharmacum, vt ad minuendam peccãtis materiæ partem, etiam ad hepar,& venas, ſuis viribus conſcendere exiſtimaretur: nõ attamẽ quemadmodum à pharmaco fortiter educente, violentóque, ſequeretur cum malis ſuccis bonorum attractio, cũ coctíſque incoctorum eductio, cæteráque id genus verenda. Nam ea operatio fortiſsimorũ,neq; emendatorum exiſtit. Siquidem à minuentibus nobis ſuprà comprobatis(niſi fortaſsis eorum plurimum incongruo exhiberetur) quicunq; boni fuerint ſucci veluti amicabiles(vt ſui moris eſt) ipſa detinebit natura,& prauos(veluti conuenit) expellet, adiutoriúmq;, quo placidiùs à pharmaco attrahantur apprimè ſuggeret. Subinde & ob id,quòd non vehementer cogitur naturalis facultas, concoctos humores excernet,& detinebit incoctos. Nec à recto hoc deuiabit: nam cocti deuicti ſunt, à naturáque vt expellantur parati, ſi à pharmaco

attrah

attrahantur. Quicunque verò incocti ſunt, etiam impræparati cenſentur, & ob id à naturali calore alterandi ſunt primitus. Et denique (vt his ſtatũ firmemus) in hoc cardine firmetur propoſitum. Quod ex huiuſmodi minuentibus conuenienter exhibitis vel non verenda ſuccedant ſymptomata, vel qui parum ſint reprehendenda: atque ſi aliquod fortè contigerit incommodum, commodum attamẽ amplius cõparabitur, emergétq;, quàm ſi prætermiſſis eiſdem vni tantùm naturæ totum permiſſum fuerit negotiũ abſoluendum. Cæterùm an minorantem euacuationem hãc in principiis, augmentíſque potiſsimùm, priſci illi tres exercuerint viri: & poſteris in pleriſque curandis morbis tam vniuerſalibus, quàm partialibus (ne in omnibus ferè dicatur) mandauerint, infra ſequentibus contextibus hinc atque illinc collectis, perſpici dabitur. Pro conſtanti hoc poſito firmiter ſtatuendum eſſe, illam eorum in vniuerſali methodo fuiſſe ſententiam, quam iidem in ægritudinum curatione exercuerunt frequẽter, atque vt exercitaretur, frequentaretúrque ſancitum eſt.
Hipp. lib. de probit. Pulchrum enim quid eſt, & honeſtũ, quum ex re quam quis didicit, oratio ratióve, m[illegible] nat: Quicquid enim artificiosè dicitur, ne[illegible]

fit, viæ, rationísve arte vacantis indicium est: putare autem, nec facere, signum ignorationis, carentísque arte, atechniásve. nam persuasio, siue opinio (præsertim in re medica) causam sonticam his, quæ fecerint, perniciem autem, exitiúmve, his qui vsi fuerint, portat. Nam si verbis freti rem sese scientia tenere putant, quum ad opus accedunt, quemadmodum aurum malum, adulterinúmve, per ignem cognoscitur, tales & hi sese patefaciunt. Condecens equidem est, vt vniuersalibus methodis, præceptísque, particulares consentiant exercitationes: nanque singula medica præcepta, atque vniuersaliter omnia præcepta, in primis vera esse debent, & Verum sanè ex orationis cum rebus cócordia existimabitur. Si igitur quod oratione proponitur rei ipsius experientia ita esse comprobetur, verum est: at si experimenta à proposita diuariant oratione, proposita illa oratio vtique falsa censenda erit, dubióque procul omni. Fides siquidem artium contra se habent, quàm inuentiones: creduntur enim ex operibus, inueniuntur ex principiis. Igitur optimum manuducens, roborans, firmánsque, in quacunque re, sit exercitium ex plerisq; actibus comparatum. Nam quum omnia artium opera

Galen. de opt. se. ad tras. Isag. 20. B.

Gale. 3. de cris. 4. cl. 144. A.

Gale. 6. de cóp. med. per ge. 5. cla. 266. E.

frequ

frequenti firmentur exercitio, non satis est, generalia ipsorum addiscere duntaxat, sed etiam in particularibus exerceri subinde oportet, nam actionum vsus, seu exercitatio, ad perfectorum possessionem via est. Vniuersalis inquam methodus sine exercitatione multa in singularibus, artificem bonum efficere non potest: atque hoc tibi in omnibus huiusmodi videre licet, quòd etiam in quibusdam tantam habere vim perspicuum est, vt vniuersalem methodum discere vnius anni spatio, vel absolutissimè vnusquisque possit, nisi tamen eam assiduè per totum vitæ curriculum exercuerit, in artis operibus impedimẽtum offendat. Proinde, si omnes qui docere, scriberéve, aliquid sunt aggressi, ea prius operibus ostendissent, prorsus paucula quædam falso dicerentur: nunc verò plerique alios docere tentant, quæ nec ipsi vnquam fecerunt, nec aliis ostenderunt. Cætera vulgus medicorum nihil miri est, si contemptis bonis moribus opinioni sapientiæ magis, quàm veritati inhiat. Præstat enim ipsos prius in sese quę proferunt expertos, ita denique eam nobis consulere, ac literis posteritati prodere. Demum ne diutius quàm par sit historiæ immoremur, nos ad senioris accedentes

Gal. 9. de Hip. & Pl. Dec. 1. 276. H.

Galen. 9. meth. 7. cla. 57. A.

Gal. 3. de simp. me. fac. 5. cla. 19. D.

volun

volumina, Galeníque, ac Principis, quas purgationes in principiis permiſerint, in augmentíſque, atque deinceps: quáſque ex eis indifferenter protulerint, ex his paſſim collectis, ſeriatímque conſcriptis, adiiciamus, vt quiuis contemplator decernere enucleatius queat quæcunque factu condigna fuerint ex eorum ſententia.

## DE FEBRIBVS.

IGitur ab vniuerſalibus morbis, atque eorum à concluſis febribus, exordium deſumatur: Has ſiquidem fieri dicimus, quum ſanguis vel quantitate, vel qualitate peccet, & quod peccare contingit. In quantitate quum ſanguis immodicè eſt auctus, aut rurſus minor redditus: in qualitate quum vel calidus, vel frigidus, vel craſſus, vel tenuis, plus iuſto, minúſve, eſt effectus. Præcipuè autem quum ſanguis immodicè eſt auctus, aut calidior redditus ſynocha febris exoritur. Sed quoniam perſæpius etiam ſanguini cæteros humores commiſceri contingit, ab eíſque concluſas effici febres, propter eà, quòd earum ſucci in vaſis contineantur. Atq;, hi præſertim qui in maximis, atque plurimo calore abundantibus ſunt, aut ob aliam quamuis cau-

Galen. 11. metho. 7. cla. 71. H.

Gal. 2. de diff. feb. 3. cl. 43. F.

k ſam

ſam quemadmodum in ephemeris, aut ob putrefactionem feruentes febrem accendunt ſynocham appellatam, quæ à principio vſque in finem, nullam habet intermiſsionem, ac tam diu perſeuerat, hominémque deürit, donec qui ei cauſam attulerunt humores, aut ex toto abſumantur, aut concoquantur, aut vtrunque patiantur. Iſtud quoque patêre dicimus, veriſsimúmque affirmandum eſſe, quòd concluſarum omnium peculiariſsima ſanatio venarum ſectio ſit, potiſsimáque: nec aliæ præſtò ſint conuenientius euacuationes, quoniam vt dicebatur nuperrimè, ad intra venas earum recondantur ſucci, ſanguiníque commiſceantur. & denique de eis reſcribatur à Galeno, Quod autem & bis arbitror, & ter, & ſæpius, iterúmque dicendum eſt, qui ita laborant, ſi rectè curabuntur, iis ſanguinis miſsio eſt adhibenda. Vacuationes autem per ventrem non admodum proritandæ erunt in his. Verùm ſi in eis miſsioni ſanguinis impedimentum occurrat, vel quamcunque ob cauſam acciderit, vt venæ ſectio omiſſa ſit, vacuationes alias ſubrogare neceſſe eſt, ex Galeni methodo iis: Quòd ſi curare aliquando infirmum cogeris, cui non ſolùm anteà ſecandæ venæ remedium prætermiſſ

Gal. 4. metho. 7. cla. 57. G.

Gale. ſup. 58. A.

termiſſum eſt, ſed nunc quoque vel per medicorum ignorantiam, vel ipſius laborantis, propinquorúmve eius timiditatē, procedente tempore mittere ſanguinem prohibueris, ad frigidam exhibendam accedes: ſed diligenter antè decernens, quantum ex ea nocumentum contingere poſſit. Nam ſi id aut exiguum erit, aut nullum offerenda potui eſt, quæ prorſus eſt gelida, quantum bibere ægro libet. Quinimò magis audebis id, ſi frigidæ potationi inſueuit, ſin maius timeatur incommodum, ab hoc quidem abſtinendum, atque aliis auxiliis, quibus obſtructio eximatur, & abundantia euacuetur, & febris feruor deferueat. Vnde & de febris cura per phlebotomiam ita docuit Auicenna: Euacuatio autem non eſt aliqua, ſicut phlebotomia ex manu, in quacunque hora accidat. Et deinceps, Quòd ſi diſpoſitio non tolerat phlebotomiam in manu, phlebotometur vena, quæ eſt inter duo cornua frontis, aut ponantur ventoſæ. Si autem non præparetur aliquid eorum, & hoc propter accidens quod prohibet, tunc fac ſolutionem ventris ſecundum modum, qui eſt in cauſonide. Euacuatio itaque per aluum, phlebotomiæ ſubibit vices: & præſertim in quibuſcun-

Auic. 1. 4. tra. 2. cap. 46.

que praui, putreſcentéſque, quamplurimi ſucci dominabuntur: atque in quibuſcunque à quouis ſingularum particularum affectu dependentibus. Nec abſimile in tuenda valetudine cenſendum eſt.

Gal. 4. de tuen. val. 2. cl. 82. C

Nam vbi paululum, vel citra ſanguinem reſtitutum, vel vltra proceſſum eſt, audacter mittendus ſanguis eſt: vbi plus, conſideratiùs agēdum. vbi plurimum, in his omnino nullus mittendus eſt. Inſpicere verò & quantitatem conueniet, vt verbi gratia, ſi bonus ſanguis exiguus ſit, reliquus verò ſuccus plurimus, vtique in his abſtinēdum à detractione ſanguinis eſt: ſin is quidem exiguus, ſanguis verò copioſus, audacter incidēda vena eſt. Dein, vt dictum eſt, deiicere aluum oportet, ratione habita de abundantis ſucci copia, pariter & ſpecie. Quòd ſi quis vel propter ætatem, vel timiditatem, permittere ſe medico ad ſanguinem vllo modo detrahendum nolit, huic deiicienda largius aluus eſt: aut ſi id quoq; ſuſpectum habet, alia ratione educendum ſuperuacuum eſt. Nec abſque ratione, incongruóve quæ in tuenda valetudine cum his, quæ in medendi methodo præcipiuntur conueniunt: quoniam Ars corporis curam habens emendatrix cùm ſit, qua parte magna vitia corrigit, medicatiua

Gale. an ars tuen. ſa. ad me. ſpe. 2. cla. 106. D.

ſeu

ſeu medicatrix nominabitur. Qua verò exiguas noxas tollit, ideóque præ exiguitate num etiam corrigat ſenſum ſubterfugiens, conſeruatrix dicetur. Et quoniam nil aliud vlceroſo ſenſui addiderit febris, quàm extraneum calorem auctum, qui febrem excitat, & qui ex prædictis ob diminuentia pharmaca, ita non augebitur, vt admodum lædat. Et ſenſu hoc cõſimiliter tertiodecimo methodi ab ipſo Galeno ſcribebatur, Dictum porrò & de hac eſt in ea parte operis de ſanitate tuẽda, quæ de euitãdis morbis eſt inſtituta: illinc igitur huc ea trãsferas oportebit, ac cõſideres, quónã ex ipſis vti maximè expediat. Siquidem ſi iam febricitet æger, nec exercitatione vacuare exuperantiam licet, nec vnctione, quæ excalfaciat, ſed nec multa frictione, nec balneo, imò ſanguinis miſsione, vnà cum inedia, vel purgatione aliqua. At ſi nondum febricitet, omnibus iã dictis vtare. Et de his ſatis. Galen. 13. metho. 7. cla. 82. F.

De Bilioſis etiam febribus ita ſecundo de morbis ſcripſit Hippocrates, Quum ſic habet, nonariúſque ſit, medicamentum dato: nam ſi per febris exordia ſtatim des, quum purgatus erit, febris reſumet, medicamentíque rurſus egebit: quum autem os non laboret, ſed venter extre- Hip. 2. de mor.

mus torqueatur, medicamentum infrà potato, post lac asinæ, serúmve, vel succum aliquem, qui si debilis sit subluito. Et infrà, Si tertiana febris habet, si quidem tres accessiones præteriens quarta capiat, medicamentum infra dato. Atque de liuido morbo scribitur, Suprà, & infrà, hunc potionato, subluito, caput purgato. Scribitúrque primo de passionibus, Sin autem ignis capiat, relaxétque, corpúsque grauescat, dum ignis habet, sorbitione, & potu hunc curato: quum verò non habet, cibaria dato, medicamentóque statim suprà, vel infrà, prout tibi videatur, purgato. Et à Galeno primo curatiuæ artis de tertianæ febris cura, huiusmodi colligitur series, Iuuat etiam per inferiores partes bilis expurgatio: venter autem mollibus clysteribus exinaniendus est. Et in antiqua eius libri habetur versione distin. quarta capite De cura febris tertianæ vtriusque, videlicet veræ, & non veræ (esto nouis versionibus non sit insertum) hoc scriptum est, Catarticum etiam leue est adhibendum, quod & phlegma, & coleram rufam deponat. Et infra, His etiam catartica danda sunt, quæ coleram rufam deponant, & prouocandus est vomitus. Expressius autem de vtrisque illis febr

Hip. 1. de pas.

Gal. 1. art. cur. 7. cla. 97. C.

Gale. 1. ad Gla. dist. 4. cap. 8

febribus Hippocratis Galenique mentem interpretatus est Princeps. nam de cura tertianæ puræ adiecit, Oportet, vt rememoreris illud, quod dedimus tibi de radicibus in curatione febrium, de solutione ventris, & cibo, & in omnibus capitulis & fabrica super illud. Et de cura non puræ, Et vt clysterizetur in principio clysteribus acutioribus, & vt expectetur digestio plus in solutione eorum forti. Et deinde, Et de solutiuis in principiis eius, quæ sunt propinquiora æqualitati, est aqua algeniabin decocti, & syrupus acetosus, & fortasse ponemus in eo cassiam fistulam, & fortius illo est, vt ponas in eo virtutem turbith, & clysteria in principiis sunt magis dilecta, quàm solutiua alia, & sunt clysteria, in quibus est virtus alhascæ, & camomillæ, & siclæ, & cartami, & violarum, & sebesten, & ficus, & odor turbith: Et pleraque eis capitibus videre est. De Pituitosis febribus quum leniendi modum explicaremus, dictum est paucula admodum ad nos ex Hippocrate, Galenóque peruenisse, sed illa paucula etiam minuentibus deseruire: quorum memores prosequimur, quòd secundo de morbis ita ab Hippocrate scribebatur, Quos potionato, serum & lac asinæ po

Auic. 1. 4. trac. c. 39.

Cap. 40.

Hip. 2. de mor.

tato, si serum potet medicamentum infra
gal.1.art. cur.7.cla. 98.B multos dies præpotato. Et à Galeno primo artis curatiuæ de cura quotidianæ, His etiam quæ pituitam subducunt vtendum. Quæ ex veteris interpretationis con textu etiam de minuentibus affirmantur. habet siquidem dist.4.1.capite, Curabis er
Gale.1.ad glau.dist. 4.cap.1. go quotidianam febrem sic: Oxymel dabis post primam diem, id est, quando mediæ causæ tempus videris, dabis & diuretica, id est, quæ vrinam prouocant: escas au tem vel cibos, calidæ virtutis, & quæ phlegma incidant, & deponant, & temperent ventrem frequentiori obsequio: maximè dabis, quæ os ventris, id est, stomachum purgent. Et de veræ, ac duplicis quotidianæ Capite, sic scribitur, His autem & venter deponendus est catartico phlegmati-
Cap.10. co. Et infrà, Sed in hac causa plus catartica prosunt, & assiduè exhibita prosunt vehementius. Auicennam verò exquisitius hanc rem pertractasse. De phlegmaticæ cura perspicuum est: verùm hæc inse-
Auic.1.4. tracta.2. cap.57. rere, loco isti sit satis, videlicet, Amplius diuersatur cura eius, cuius causa est phlegma salsum, & dulce, & cuius phlegma est vitreum, & acetosum, & fit in ea nimium frigus, in qua corpus non calefit: verùm in duabus primi necessaria est lenificatio cũ
medic

medicina leui,& infrigidatio quædam, & in duobus secundis cum medicina laboriosa. Et infrà, Ego verò non diligo nisi expectationem digestionis, & lenificationis, cum eis, quæ diximus prius, imò oportet, vt euacuetur ex ea aliquid, & expectetur in reliqua vsque quo digeratur: & fiat illud cum facilitate paulatim absque superfluitate, deinde perueniatur ad diuretica. Et rursus, Et multotiens quidem conceditur euacuatio phlegmatis, & humoris crudi in hac hora. Sed melius est, vt expectetur in ea complementum digestionis. Atq; ad hunc scopum attingentia plurima capite eodem lectitare licet.

De melancholicis consimiliter febribus secũdo de morbis sic Hippocrates reliquit, Quum quartana febris habet, quæ quidem alio morbo non purgatum corripiat, medicamentum infra potato, posteà caput purgato, deinde etiam per inferna purgato. Libro quoque de passionibus primo sic legitur: Quartana verò si corripiat, purgatúsque non sit, primum caput purgato, tribus vel quatuor diebus interpositis medicamentum in ipsa accessione dato, totidémq; prętermissis alterũ in ipsa accessione per inferna, quõd purget, dato: quæ si per hæc non sedetur prætermittito

Hip. 2. de morb.

Hip. 1. de par.

rurſus. Hæc autem ſecundum medicamentorum varias narrationes vacuandi modos multiplices, ac varios oſtendunt, & mediocrem, & lenem, & fortem, veluti primi artis curatiuæ Galeni adaperiunt hæc, Quas etiam ab initio mediocriter, ac leniter, tractare oportet: nullum forte medicamentum, aut medicationem exhibentes. Et deinceps, Et ſi concoctionis morbi indicia apparuerint, tunc purgare oportet his, quæ humores atros exinaniendi vim habent, non ſemel tantùm, ſed ſæpius, ſi fuerit neceſſarium. Sic etiam Auicenna concors de cura quartanæ febris reſcripſit, Et ſi oportet euacuetur de humore faciente febrem aliquid propter alleuiationem, non propter mundificationem, vel eradicationem. Illud enim apud digeſtionem fit, ſecundum quod innuam ad ipſum, & ſit poſt paroxyſmum per diem: Subindéque de ſingulis modis materierum quartanæ quamplura noſtro deſeruientia ſcopo inibi relegantur.

gal.1.art. cur.7.cla. 97.G

Auic.1.4. tract. 2.c. 65.

De vniuerſalibus itaque morbis tanta ſint dicta, de quibus & ob hoc, quòd non in pluribus locis de eis particulatim pertractauerit Hippocrates: & ob miram illius in pertractando breuitatem, dicendíque modum viri, licet non immun

munia à cauillis sese offerant quædam, & potissimùm ab his, quòd obiicere quispiã posset, vel in valde turgenti materia, quæ scripta sunt, intelligi. Vel etiam, quòd huiusmodi quum tota concocta materia est præcipiantur, vel insuper, quòd si ante totam concoctionem scribantur, illa de lenientibus intelligi habeant. Verumtamen quum neque solùm de turgenti materia insertum sit verbum, obiectum primum cadit. Et ob repetendi modum senis nominum medicamentorum, purgationúmque, atque diuersis temporibus, secundum tollitur. Et postremum ob hoc, quoniam Medicamenti potiones, & medicationes, consueuit Hippocrates nominare eas tantùm, quæ cum purgantibus fiunt medicamentis. Quod autem Hippocrates verbo Medicari, pro purganre medicamento consueuerit vti, omnes cõfitentur, quicunque etiam paucam habent de eius dictione notitiam. Dicendum igitur est re vera purgationes illas mediocres in non turgẽti descriptarũ febriũ materia, ante totam coctionem in citatis seriebus Hippocratem præcepisse. Quòd si lenitionem illam solummodo intellexisset, nõ medicamenti, aut purgationis, sed sorbitionis, aut potus, nominũ meminisset: Nẽpe hoc mu-

gale. 7. aphor. 25. Ext. 57. E.

gale. 4. aphoris. 1. Ext. 28. B

nus

Galc.4.in acut.7.cl. 136.B.

nus medicamentorum est,& non ſorbitionum, ſicuti neque potuum. Et itidem de Galeni appoſitis contextibus cenſendum eſt. Conſimiliter ſi in eis antiquæ interpretationis reſcripta illa damnentur, tanquã non Galeni legitima, eo indicio, quòd in nouis deſiderentur verſionibus, diuerſáve illa ſint, obſtabit fortè, quinimò aſſerendum probabilius eſſe poſtremas trãſlationes has ocyus periculum quoddam calumniæ ſubire. Nam credibilius profectò eſt, exemplaria Græca ita in omnibus ſe habentia ad veterum manus incidiſſe, atque ita ea tranſtuliſſe, ſicuti & ad recentiorum manus Græcos ſic ſe habentes in omnibus codices, atque ſuas has inde fideliter accepiſſe verſiones, quam vt quilibet nutu ſuo ad intentionem, mentíſve placitum, tranſcripſerint quæcunque: addiderı́ntque, aut diminuerint, ſuadétque id ratio, vt græca illa exemplaria, in quibus cõſtaret veritas, potius ad veteres peruenerint, quàm id hiſce comperiatur temporibus, ſiquidem temporum occaſionibus delinquere nedum in pauxillis potuerunt volumina, veluti in quibuſdam codicibus vetuſtiſsimis fit, verſibus deliteſcentibus, ac capitibus, verùm & paginas, & tractatus, ac libros integros interiiſſe poſsibile eſt:

est. Quemadmodum multi alij veterum libri perierunt, de quorum interitu à plerisque scriptis traditum est. Potuit & fieri, quòd in hoc quispiã ex veteribus descriptoribus librorum peccauerit, atque ita posteà habens liber iugulatus est, seruatúsque est hic error vsque huc meritò sanè, cùm aliqui negligenter planè veterum libros versent, vt neque an deficiat quippiam, neque in alio libro dictum sit, sciãt. Quidam verò etiam si sciant, tamen quod deest apponere non audent. Neque enim similiter nostri æui hominibus priores faciles erant, neque prompti, ad adscribendum veterem dictionem, quæ eodem modo in omnibus exemplaribus scripta esset, sed significationem solùm facere contenti erant, quod hic quidem defectuosé. Potest etiam à principio statim corrupta scriptura à librario permansisse, id quod aliis multis accidit, tum apud Hippocratem, tum apud alios non paucos. Igitur liceat dicere id à librario fuisse prætermissum, quemadmodum alia multa in multis Hippocratis, & aliorum, libris inueniuntur, partim errata, partim prætermissa. Plurima quidem non in citatis modò libris ad Glauconem, sed etiam in plerisque aliis tam Hipporatis, quàm

Gale. 3. in lib. de ar. 7. cl. 264. A.
Gale. 3. de diffi. resp. 3. cl. 67. H
Gale. 3. in 1. de mor. vul. 3. cla. 112. C.
Gale. 1. de his quę in med. fi. 7. cl. 195. C.

quàm Galeni voluminum interpretatio-
nibus, inter ſe diſsidentia conſpiciuntur,
nam & à veteribus differunt nouæ verſio-
nes,& inter ſeſe recentiores, & nonnulla
inter ſe aduerſantia, in his intuemur at-
que illis:permultos etiam contextus trãſ-
poſitos, pleroſque etiam mancos perle-
gere licet. Quo fit, vt Bartholomæi Syl-
uanij Salodienſis noſtri, conſummatiſsi-
mi medici, ac vtriuſque linguæ peritiſsi-
mi, ſententiam eſſe Apollineam coniicia-
mus, videlicet, etiam Græcis exemplari-
bus ipſis ineſſe tum diſſonantiæ, tũ tranſ-
poſitionis, tum defectus, augmentíque
morboſas diſpoſitiones. id quod euiden-
tiſsimum apparet in pleriſque nouarum
interpretationum locis. Et verè defectus,
qui in libris his de arte curatiua eſt, ar-
guetur ex contextibus, quum de iunctu-
rarum morbis peragetur deſcriptis, niſi
& illi pro ſpuriis repellantur, cauillando.
Sed nos, ne pertinaciores eſſe videamur,
condonemus quæcunque ſupra antiquæ
verſionis citata, non eſſe authori propria,
ſed affirmetur illa nequaquam abſona
ab Hippocratis, Galeníque ſcriptioni-
bus comperiri, & denique ita vti eis li-
ceat, libeátque, vt veteres interpretes illos
ita Galenum intellexiſſe confirment. At-
que

que hoc non in prædictis modò, sed in cæteris id genus sentiamus. Et de huiusmodi sufficiant ista.

## DE APOSTEMATIBVS.

DE partialibus etiam morbis vnicuiq; particulæ indifferenter euenientibus inferiores series apponentur, initio ab inflammatione capto, cui totius generis vocabulo phlegmon nomen inditum fuit. qui tamen morborum modus (veluti & cætera passionum genera dominatione sanguinis inuadentia) pro communi curationis indicatioue vacuationem requirũt, atque ea, nempe vacuatio redundantis in particula phlegmone obsessa sanguinis est. Sed quoniam (quemadmodum in conclusis febribus dictum est) interdũ, quinimò semper sanguini humores cæteri cõmiscentur, conuenit per pharmacũ educere post minutionem, nedum ante totius morbi coctionem, sed etiam sæpenumero in principio, veluti sancitur ab Hippocrate quarto de victus ratione in acutis sic asserente, Atq; inflammationes aliæ, & superiores septo dolores, morborúmq; collectiones, quas σύστροφας dicunt, solui non possunt, si quis primum purgante medicam

Galen. 13. metho. 7. cla. 81. C.

Hip. 4. in acu. 7. cla. 136. F

dicamento aggressus fuerit. nam venæ se-
ctio in his præferenda venit, deinde cly-
smis est opus: nisi vehemens, & magnus
morbus fuerit: si verò non, & posteà me-
dicamenti opus sit, sanè id post sanguinis
misiionem securè, & mediocriter porri-
Gal. 4. in gendum. Eodémque libro inferius Gale
acut. 7. cl. nus adstipulatur iis. Nam vel statim ab
143. E. initio priusquàm in partem aliquam con-
firmentur humores, medicãdum: vel post-
eà, quum ad maturitatem perducti fue-
Galen. 13. metho. 7. rint. Atque tertiodecimo methodi sic ha-
cla. 81. C. bet, At si vel plethoricũ corpus sit, vel ma-
lo succo redundet, curatio per ea, quæ sic
calent fluxionem ad membrũ citat: atqui
nec alia vlla vti datur. Cogimur ergo aliâs
sanguinem mittere, idque aut vena incisa,
aut membris his, quæ læsa non sunt scari-
ficatis. manu enim laborante scarificabis
crura, altero crure malè habente, reli-
quum. has nanq; vacuationes indicat ipsa
copia, sicut & succorum vitium redundan-
tis succi purgationem. Scripsit & planiùs
quarto canonis de cura phlegmonis Prin-
Auic. 3. 4. ceps, Quum autem inueneris corporis re-
trac. 1. c. 3 pletionem, tunc oportet, vt nõ tangas apo
stema cum mollificatiuis: quoniam attra-
hetur ad ipsum supra illud, quod resol-
uetur ab eo, imò oportet, vt euacuetur ma
teria

teria per phlebotomiam, & fortaſſe indiget ſolutione ventris: & quum feceris illud, adminiſtra mollificantia, & eius quidem curatio eſt proxima curationi eius, cuius cauſa eſt repletio corporis, & differt ab ea in hoc, quòd non indiget repercuſſione plurima in principio, ſicut indiget illa, imò minus illa. Quum autem cauſa eſt antecedens, non primitiua, tunc oportet, vt incipias cum euacuatione, & comple ei quod meretur ex phlebotomia, & ſolutione ventris, ſi indiget ea. & neceſsitas quidem eius eſt, aut quia corpus eſt immundum, aut quoniam ægritudo eſt magna: quare neceſſaria eſt euacuatio, & minoratio materiei, & attractio ad contrarium.

De Biliosis etiam tumoribus, eryſipelatéque, potiſsimùm, Hippocrates de vulneribus libro ſic protulit: Cuicunque vulneri rubor, eryſipeláſve ſuperuenit, corpus optimè purgato ſuprà, & infrà, prout expediet vulneri. Atque à Galeno clariùs ſecundo curatiuæ artis de cauſis inflammationis, ſic affirmatur: Etenim & hoc per initia quidem infrigidandum eſt, tunc præſertim, quum ſine occaſione manifeſta factum fuerit: quando verò illi deerit feruor, & incidere conuenit, atque em- **Hipp. lib. de vul.** Gal. 2. ar. cur. 7. cla. 102. C.

plaſtrum ex farina hordeacea calida,& cerotum, & aliud aliquod medicamẽ ex diſſoluentibus apponendum. Non tamen ex vena in talibus ſanguis mittendus eſt, ſed ventrem tantummodo expurgare ſufficit: dandum autem medicamen, quod bilem flauam educat. Si verò paſsio parua fuerit, neque hoc facere eſt neceſſarium,ſed ſufficit clyſteri acri vti. Atque quartodecimo methodi ſic habetur, At quoniam eryſipelas nõ quantitate modò affligit, ſed etiam ex vehemẽti ſcilicet inflammatione,qualitate ipſa cruciat, ampliorem refrigerationem, quàm phlegmone requirit, nec tamen nõ periculoſa toti corpori eſt eiuſmodi curatio, propterea quòd bilis interim ad aliquod princeps membrum fertur:quippe quum ſi vel ſanguis ipſe abundet,haud tutum ſit ex minoris notæ membris fluxionem eius repellere. Tanquam igitur in illa poſt totius corporis vacuationem repellentibus auxiliis vſi ſumus, ita nunc quoque faciemus: ſed pro ſanguinis miſsione, medicamento quod bilem trahat, purgantes, ipſam verò afflictam particulam refrigerantes. His conſonè tractatu de oculis, De curis apoſtematum, quiſquis ibidem pertractauit, ſic admonet, Medicina ſanguinolenti

Gale.14. metho.7. cla.87.G.

Gale. tra. de ocu. 7. cla.185.D

apo

apostematis, id est erysipelatis, quæ cum nimio est dolore, & calore, si causa eius fuerit extrinseca ab initio mollitiua, & dissolutiua, sit: si autem intrinseca fuerit, primò detur choleram rubeam pharmacum purgans, deinde si opportunum est phlebothomemus, posteà medicina infrigidans, & humectans apponatur. Scripsitque capite de cura erysipilæ, Princeps, Oportet vt euacues corpus ab ea cum solutiuo choleræ: & si indigeat phlebotomia phlebotoma etiam. & phlebotomia quidem non multum confert, nisi quum materia est inter duas cutes. Si autem profunda fuerit, tunc eius iuuamentum minoratur: & fortasse attrahit. & si indigueris reiteratione solutionis ventris post phlebotomiam, fac illud secundum quod calefit ex duabus materiis. De reliquis autem biliosis tumoribus, & de pascentibns, formica miliari, herpetéque præcipuè, Galenus quartodecimo methodi sic exarauit, Ita si quis toto prius corpore purgato mox quæ influentem humorem reprimant, regerántque, medicamentis vtatur, iam herpetem curauerit. Et infrà, Immittentes igitur clanculum minimum scammoniæ inuitam purgauimus, &

Auic. 3.4. tra.1.c. 5.

Gale. 14. metho. 7. cla.92. C.

ſanauimus. Ergo cuius gratia hæc dicta ſint, denuò repetamus, poſtquàm cauſam omnium quæ ſub eodem genere vitiorum ſunt, indicationem acceperis, vtique non hanc in particularibus exequeris, ſed reduces ſemper ad differentiam, quæ tum affectibus, tum eorum cauſis ſint accommoda, ſicuti de ſpontaneis oſtenſum eſt vlceribus. Vacuabis nanque eum qui redundat humorẽ: cæterùm aliquando medicamento, quod flauam purget bilem, ſæpe eo quod nigram, modò eo quod miſtæ eſt facultatis, quod ſcilicet bilem, & pituitam, educat. veluti in altero herpetum, quem à ſimilitudine, quam habet cum milio, κεγχρίαν Græcè appellant. Atque ſecundo curatiuæ artis de cauſis inflammationis, Herpetes autem quantum ad totius corporis euacuationem attinet, vt eryſipelata curare oportet: quantum verò ad ipſius particulę patientis locũ, non omnino ſimilis cura adhibetur. His etiam adſtipulantur quæcunq; ab Auicenna ſcribuntur tractactu ſuprà citato. Nam de cura formicæ ad hunc modum reliquit, Quũ non incipis in ea cum euacuatione humoris ſecundũ quod oportet, imò medicaris vlcus cũ eo, quod ſanat, redit ex alio loco cũ nocumento ex loco ipſo, & non ceſſat humor facere

Gal. 2. ar. cur. 7. cla. 302. D.

Auic. 3. 4. tra. 1. c. 7.

con

corrosionem post corrosionẽ: & aqua quidem casei cum scammonea iuuatiua est in euacuatione formicæ, & ei similium. Et de miliaris cura, Miliaris similatur formicæ in curatione: verùm melius est in solutione eius, vt sit in eorũ catartico virtus eius, quod est sicut turbith, cum eo quod soluit choleram, & si est ibi ex epithymo, est melius, quoniam necesse est illic esse ex melancholia, & phlegmate, quæ admiscentur choleræ. Et de cura essere: Si sanguis fuerit vincens, tunc oportebit vt in primis perueniat ad phlebotomiam, deinde consequenter adhibeatur solutiuum choleræ, si tolerauerit virtus. Capitulo 8. Cap. 14.

De Pituitosis tumoribus prætereà, secundo de morbis ab Hippocrate sic scribitur, Quum albæ pituitæ morbus, phlegmáve leucon quem inuadit: Et deinde, Cui si per morbi exordia sua sponte venter moueatur, perturbetúrve, citò sanescit: Si non medicamentum infrà dato, quo aqua purgetur. Ac secundo de passionibus libro, Cui si venter sponte moueatur, citò sanescit: si non, oleastello, cneoróve, vel hyppopheo, vel grano cnidio, vel lapide magnesio, purgato. Et Galenum quando de Oedemate curationem percurrit, tam secundo artis curatiuæ, quàm quarto- Hip. 2. de mor. Hip. 2. de pas.

decimo methodi, vacuationis humorum per aluum non omnino oblitum esse existimamus. Sed vt earum, & consimilium serierum senis penitus obseruator diligẽ-
Hippo. 7. apho. 29. Ext. 57. C. tissimus, tum optimè noscens, quòd qui alba pituita detinentur, si fortis vẽtris fluxus superuenerit, à morbo liberãtur, fiendam eius humoris expulsionem medicamẽto spõtanea imitantes prefixit, id in arte curatiua sub illo cõprehendens cõtextu,
Gal. 2. art. cu. 7. cla. 103. G. Quæ verò ob materiæ influxum si quidem bene temperata sint, solam euacuationem desiderant: si verò vitiata euacuationem, atque vna per contrarias qualitates expetunt alterationem: Et in medendi methodo sub communi omnium tumorum præter naturam indicatione prædixisse relinquens. Nam quum de sanguinis mißione variis ingeniis fienda meminisset, adiece-
Galen. 13. metho. 7. cla. 81. G. rat, Has nanq; vacuationes indicat ipsa copia: sicut etiam succorum vitium redundantis succi purgationem. Deinceps & quũ de œdemate ipso, ac scirrho, exteriora remedia percurrisset, subiecit: Siquidem
Gale. 14. metho. 7. cla. 88. D. omnium, qui præter naturam tumorum, in quibus vtique adhuc non sunt geniti pori, prima indicatio vacuatio est. Et secundum appositum sensum Auicenna 3. 4.
Auic. 3. 4. tra. 2. c. 3. de cura apostematis mollis indicationem absol-

abſoluens ſic protulit: Euacuatio quidem. quæ fit cum ſolutione ventris, & abſtinentia, ab eo quod generat phlegma, eſt res, quæ eſt neceſſaria: & quum factum fuerit illud, oportet vt ſit repercuſsio eius.

De Melancholicis demum tumoribus, & cancro, quartodecimo methodi à Galeno relictum eſt. Ergo quæ nam in cancro tum communis, tum propria, indicatio ſit, opportunè nunc dicetur. Communis igitur eſt vt humorem vnde vitium eſt natum, ilico vacues, ſimili vacuationis genere ei, quæ in aliis tumoribus ſuprà eſt comprehenſa. mox prohibere (potiſsimùm ſi fieri poteſt) ne de cætero eiuſmodi ſuccus in venis colligatur: ſin id fieri nequit, ſaltem eum omnino ex interuallis vacuare, & ſimul particulam firmare, ne quid humorum redundantiæ ad eam confluat. veluti ergo amaræ bilis humorē medicamēto, quod eum humorem trahere ſit aptum, educimus, ſic & melancholicū educemus. Et ſecundo curatiuæ artis, capite de cancris, Hūc igitur morbum (vt diximus) in principio ſanauimus, & tunc pręſertim, quū atræ bilis humor non admodum craſſus videbatur exiſtere: nam ſic purgātibus medicamentis, ex quibus ſanitas ſequitur, promptè ſuccumbit. neque obſcurū eſt, hu-

Galen. 14. meth. 7. cla. 90. B.

Gal. 2. art. cur. 7. cla. 108. E.

iusmodi medicamenta debere esse euacuandę atræ bili accommodata, quod tam diu faciendum est, donec sanitas pristina subsequatur. Et libro de atra bile ita consuluit: Cæterùm de atra bile, quæ longa experientia mihi certo cognita, compertáque, sunt, nunc addam, sanè profutura his, qui medicæ arti non sophisticis sermonibus, sed operibus student. omnes enim quotquot ex melancholico humore fiunt affectus, statim inter initia strenuè purgans talem humorem euacuantibus, crescere prohibebis, vel vsque ad cancros. Scripsit & Princeps 3.4. de cancri cura: Et fortasse sufferunt cancri parui sectionem, nam si posibile est, vt destruantur cum aliquo, tunc non est posibile, vt destruantur, nisi per incisionem vehementem, vt eradicetur perueniendo ad membrum circuens ipsum, incidendo ipsum ex membro circundante apostema cancerosum, trahendo, & eradicando, omnes venas quæ imbibunt ipsum, ita vt non remaneat de eis aliquid, & currat ex eis sanguis plurimus: & iam antecesit mundificatio corporis per solutionem ventris ex materia mala, & phlebotomiam. Et de apostematibus duris capite, proposuerat, Oportet vt de eis apostematibus illud curetur, cui

Galen. de atra bile. 1.cl.43.A.

Auic. 3.4. tra.2.cap. 16.

Cap.12.

est

eſt ſenſus: & vt ſit ſolicitudo curationis poſt mundificationem corporis, cum eo, quod educit humorem facientem ægritudinem, & fortaſſe eſt illa mũdificatio cum phlebotomia, ſi eſt ſanguis plurimè niger, & ſuper illud ſit quod reſoluit, & lenit ſimul. Et hæc de tumoribus pro vniuerſali purgatione per aluum dicere libuit: pleraque propoſito ſcopo deſeruientia in libris ipſis ſcrutãda derelinquẽtes, ea ratione, ne ſi hîc omnia inſereremus, vltra quàm par ſit, hæc noſtra deueniat ſcriptio.

## DE PARTICVLARVM AFFECTIBVS.

DEinceps de paſsionibus quæ partiale, propriúmq; affligere ſolent membrum, vidẽdum eſt, quòd in earum quamplurimis (ne ſi in omnibus diceremus, arrogantia ſcribere videamur) & in principiis & in augmentis, & proinde antequàm tota materia concocta ſit, ſeniores tres illi medici corpora purgarint, minuentibúſque antehac nominatis medicamentis præſertim. Atque de hoc inferiores eorundem ſcriptiones pleniſsimam adhibe-

bunt fidem. Itaque vt ab affectibus membri, quod in ſupremo hominis eſt, incipientes, ſubinde particulatim deſcendamus ad eos, qui in infimo ipſius hominis contingere ſolent, ſic dicatur.

Hipp. 3. de mor. De capitis doloribus tertio de morbis ab Hippocrate ita legitur, Quum autem præ cerebri plenitate caput circumdolet. impurgationem præ ſe fert: capútque circumdolet, deſipítque, ſeptimanúſque perit, nec euadit, niſi ſeptimano humor per aures fluat, quo dolor ſedetur, reſipiſcátque, multúmque fluat, & inodorum. Medicamentum autem huius auribus prius quàm fluere videas, ne dato: ſi verò ſuperiorem, inferiorémque ventriculum purgare velis, ſeorſum vtrunque ſoluito: poſteà caput per nares, & aures ſuffito totum. Et infrà, Quum grauis capitis dolor repente per exordia mutum facit. Deinceps, Quos valde ſternuere facito, cúmque his quæ valde bilem agũt ſubluito, qui ſi reſipiſcant, ſentiántve, thapſiæ ſuccum multa calida liquefactum, dato quamprimum vti vomat, ſeptem poſteà dies emaciato. Et primo de paſsionibus

Hipp. 1. de paſ. ſcribitur, Caput autem ſi diutius, vehemẽtiúſque doleat, nec eius purgatio dolorem tollat, caput aperito, vel venulas circum

vſtula

vstulato. spes enim vnica est sanitatis. Statim autem per morbi exordia quid his opus sit prospicito, possíntne potionari, vel quid aliud quis porrigere velit. Si verò per exordia absis, potius morbo desinente porrigito: sed corpore delassato quid validum ne porrigito: periculũ enim esset, ne potius aberrares, quàm consequaris. Et licet hæc in nouis versionibus cornarij diuersa interpretatione citentur, ad idem attamen redire subiicimus. A' Galeno etiam hæc accipiuntur secundo de cõpositione medicamentorum secundum locos, De cephalea: Si quidem igitur humorum aut vaporum multitudinem reperieris causam, si quidem propter totius corporis repletionem facta est, vniuerso corpore euacuato capitis dolorem sanabis: si verò debile existens caput ad se sublatos humores, ac vapores susciperet, materiam reuellere oportet in totum corpus, atque ita particulæ mederi. Per clysteres itaque reuulsio fit, & ligaturis extremitatum, & pluribus infernarum partium confrictionibus, interdum etiam sanguinis ex cubito detractione. Quòd si amplius sanguis redundans videatur, etiam ex naribus aper-

Gale.2. de cõp. med. loc.5. cla. 141.D.

ta vena, & quantum ſufficere videatur, euacuato: deinde hieram dabimus exacutam, & poſteà apophlegmatiſmis pituitam detrahentibus. Et inde quamplura. Et de cura ſodæ calidæ ſic Auicenna reliquit, Et multotiens quidem accidit ex ſole ſoda, non ex hoc, quòd calefacit tantùm, ſed ex hoc, quòd eleuat vapores, & mouet humores quietos. Cum huiuſmodi igitur non eſt excuſatio ab euacuationibus ſecundum modos prædictos, & quandoque in ea in qua vapores non eleuantur, neque humores mouentur, eſt neceſsitas euacuationis, & illud quidem quum ſentitur repletio, & timetur in ipſa, materiei attractio ad locum doloroſum, ſecundum quod ſciuiſti in principiis. illic enim ſi obliuio adſit euacuationis humoris dominantis, non eſt ſecuritas quin impedimenti ſit agilitas. Et infrà, Et ſi materiæ cholericæ fuerint groſſæ, & fuerint imbibitæ in tunicis ſtomachi, ita vt neque vomitu expellantur, neque lubricæ fiant, ſolutiuis lubricatiuis, neceſſarium erit euacuare cum hiera picra, cum ſcammonea, ſecundum deſcriptiones dictas. aut augmentare eam, & afferre eam ſuper lubricantia: aut euacuare cum decoctione myrabolanorum,

Auicē.1.3. tra.2.cap. 11.

ſecund

ſecundum quod videbis in antidotario. Et de cura ſodæ frigidæ, Curatio autem ſodæ frigidæ cùm materia phlegmatica eſt, vt euacuetur corpus, ſi humor in eo fuerit communicans, deinde adminiſtretur cibi minoratio, & ipſius ſubtiliatio. Cap.12.

De ſoda quoque ex ebrietate, ſecundo de compoſitione medicamentorum ſecũdum locos, ex Apollonij etiam ſententia ſcribitur, Curatione itaq; opus eſt, quæ ſcopum primum vniuerſalem, & communem omnibus habeat, nimirum euacuatione indigentem. Et planiùs id expoſuit Princeps proprio capitulo in hac ſerie, In ſoda autem contingente ex ebrietate in primis oportet, vt adminiſtretur ſtomachi purgatio, aut vomitu facto cum oxymelle & ſemine raphani, aut oxymelle cum aqua tepida, aut cum vomitibus leuibus, & mediis, de illis quos in antidotario faciemus. Quòd ſi vomitus non fuerit obediens, & timetur eius adminiſtratio, ſolues cum hiera confortata cum ſcammonea, ne eius mora prolongetur. Et de his, qui ex ſtomacho caput dolent, ſecundo de compoſitione medicamentorum ſecundum locos, hæc quoque Galenus habet, Quæ igitur horum erit cura, vt videlicet affligentes in ventre humores quàm celerrimè euacuemus

gale.2. de cõp. med. loc.5. cla. 137.A.

Auic. 1.3. tra.2.cap. 24.

gale.2. de cõp. med. loc.5. cla. 139.A

mus. Euacuantur autem ad vomitum procliues facilè ab aquæ potu, ægrè vomentibus verò difficilius. Et inde, Pessima autem fit affectio, vbi vitiosi humores in ventris tunicas ineluibiliter fuerint imbibiti, quorum optimum remedium est ex aloë pharmacum, quod aliqui picram, hoc est amarum, aliqui hieram, id
Galc. sup. 140.H est sacrum, ex aloë appellant. Atque de dolore capitis per consensum adiecit. Et si quidem humoris multitudo, & maximè circa venas fuerit, venam secabimus: si verò qualitas magis inualuerit, purgatiuo pharmaco vtemur. Scribit & Aui-
Auicē. 1.3. tra. 2. c. 33. cenna tertio canonis, De regimine specierum sodæ factæ per communitatem. In ea autem, quæ fit causa humorum in ipsa primùm, quod oportet est, vt incipiat cum purgatione, & post illud, & cum ea, vt nutriatur cibis subtilibus, facilis digestionis, laudabilis boni chymi, deinde declinet cum qualitate sua ad illud, quod est necessarium, & sint cum hoc in eis resolutio, & digestio, & solutio. Et de cura sodæ euenientis ex coitu prædixerat,
Cap. 35. Quare oportet, vt quum illud accidit successione coitus, & qui repletionem habet, incipiat primùm à minutione: deinde cum solutione, si vtraque fuerit necessaria

ſaria, aut vna earum. deinde confortet cerebrũ cum oleis confortatiuis, ſicut oleum roſatum.

De Hemicrania quoque à Galeno citato libro de compoſitione medicamentorum ſecundum locos, hæc comperitur curatio, Quapropter vbi quis hemicraniam curare aggreditur, prius quali purgatione, aut venæ ſectione, æger opus habeat, conſideret: atque ita deinde ad capitis auxilia porrigendo. Et de cura eius reliquit Princeps, tertio canonis, Eius cura eſt phlebotomia, ſecundum quod ſciuiſti in ouo, & reliquis, & propriè venæ frontis, & temporis, & ſolutio, & clyſteria, & attractio: & totum cum eo, quod conuenit ipſi, ſecundum quod tibi præceptum eſt in canone, & ex eis quidem, quæ conferunt, calidæ eſt infuſio aloës cum aqua endiuiæ, dicta in antidotario: cuius potio ſit inter vnciam vnam & ſex vncias, quum periodus adeſt oportet, vt purgetur corpus ante ipſum, & permutetur complexio poſt purgationem. Prædixerátque de cura oui, Et euacua cum eis, quæ conueniunt, & adminiſtratio pilularum de aloë cum máſtice eſt de eis, quæ multum conferunt in ea, & fiat illud in omni tertia nocte, &

Gale. 2. de cõp. med. loc. 5. cla. 144. B.

Auicẽ. 1. 3. tra. 2. c. 38

Cap. 36.

vtatur cochiis in euacuationibus ſuis, ſi neceſsitas eſt, vt dentur eis fortiores.

Hip. 1. de vul. De capitis etiam ſauciati cura ab Hippocrate de vulneribus libro ſic traditur, Purgatio quinetiam inferioris ventriculi plurimis vulnerum confert, capitis præſertim, ventris, articulorúmque, quibus periculum eſt, ne ſiderentur, putreſcántve. Quam ſententiam commemorans Galenus quarto methodi, ita adiecit, His verbis clarè docuit vlceribus omnibus, & vulneribus, quotiens præualida ſunt, purgationem eſſe vtilem. Inde de omni vulnere primo de paſsionibus ſcribitur, Saucios verò fame necato, potato ſorbetóve aquã, vel acetum: lauatione, medicamentóve, ventrem ſubducito. Et à Galeno de remediis paratu facilibus hauriuntur hæc, Quandoquidem ex ictu, & caſu ab alto, obueniunt capitis dolores, exiſtimamus non inutile ſaltem paucis de his etiam agere. Admouendus igitur his per ſpongiam, aut lanam molliorem, vapor aquæ calidæ: iniungenda poſt hæc quies, cibi ſubtractio, inferioris ventris purgatio. Atque itidem, ac amplius, de cura ſodæ, factæ ex percuſsione, ſentire haud ambigimus Auicennam iis, Primum ergo quod te oportet facere in eius cura, eſt phlebotomia

Gal. 4. metho. 7. cl. 28. C.

Hip. 1. de paſ.

gal. de re. par. fac. 7. cla. 149. B

Auic. 1. 3. tra. 2. cap. 26.

tomia cephalicæ, aut nigræ, vt apostematio prohibeatur: si autem illic est repletio, oportet vt vtaris clysteribus acutis saltem cum pulpa coloquintidæ, veruntamen si habuerit febrem, tunc clysteria æquabis. Quòd si clyster non euacuat, oportet vt euacuetur cum aliquo, quod sit sicut pilulæ cochiæ si febrem non habuerit: Quòd si habuerit calorem, qui febre sit minor, non prætermittas ipsorum potionem: necessaria est enim euacuatio, vt securetur apostema. Atque Hippocrates: Dum in capitis vulneribus tumor fit, libro de capitis vulneribus, sic protulit, Ventriculum huius inferiorem medicamento subducito, & subter purgato, bilem educito: quem quum sic purgaueris, febrísque deseret, tumórque dissidebit, & sanescet. quod medicamentum, quum dabis, vires hominis respectato. Hippo. de ca. vul.

De nerui quoque solutione, sexto methodi Galenus habet: Tutius verò fuerit, etiam si quis cutem latiùs incîdat, ac totum corpus sanguinis missione inaniat, vtique si fortis sit virtus. Si verò vitiosis succis repletum corpus sit, protinus purget. Atque Auicenna quarto canonis De canone solutionis continuitatis neruorũ ita subscripsit, Quum ergo fit in eis illud, gal. 6. metho. 7. cl. 37. E. Aui. 4. 4. tra. 4. c. 2.

& accidit securitas ex superfluitatibus quę effunduntur per illud quod administratur de phlebotomia, & euacuatione, tunc incarna.

Pertranseundas autem existimamus plerasque Auicennæ series, de quampluribus affectibus, qui in capite ipso fiunt, veluti etiam de comatoso morbo, Lethargóve: & de memoriæ corruptione: atque de karabiti cura, ac permistione sensus, admodum consona libro de insania, aut Hippocratis is sit, vt inscriptio profert, aut alterius cuiusuis, vt Galeno complicuisse fertur.

Hip. 1. de insa.

Eo nanq; scribitur libro, Maturè etiam ventrem soluito cibariis, & sublutionibus, his præcedentibus, hinc ab locorum auxiliis exordium sumito, sanguinis libram circiter de media frontis vena mittito: deinde posteà quinto die potionem aloës peramaræ cum mulso propinato: Et inde plura. De maniæ quoque, & melancholiæ cura, derelinquimus pleraq; cõformia his quæ ad Hippocratis mentem De atræ bilis agitatione scribuntur, videlicet, Malum enim quum nondum ferè incœpit, curare debemus, quum autem inueterauit, difficulter curatur, & tractatur. Communia verò quæ adiuuãt, sunt, cùm cerebri primum affecti, tum præcordiorum quæ ventrem

Hippo. de atræ bilis agit.

trem ſubducunt: primum quidem bona di gestio curæ ſit: deinde purgatio, thymóque primũ & aloë purgato, nam hæc ſi parum quotidie ſumantur proſunt: posteà cunctis quæ ad atram bilem faciunt, curato. Et inde pleraque ſilemus, ſicuti & hîc conticemus, quónam pacto iuxta propoſitum ſcopum in artis operibus ſeſe habuerit Princeps prima tertij propriis capitibus, ibidem à quocunque ſi libuerit perſcrutanda derelinquentes. Nec aliam ob rem præſtamus id, niſi quoniam illi, qui contrariȩ addicti ſunt hæreſi, Hippocratem, Galenúmque duntaxat audiunt, admittúntque: Principem verò reſpuunt, atque deſpiciũt, tum quòd Arabes abhorreant nonnulli: tum quoniam in hac re ab vtriſque diſsidentem eſſe, plerique eorum coniectant. Sed nos iudicium id eſſe perperam arbitramur, & ſummum omnino virorum illorum interpretem, explanatorémque, prædicamus Auicennam: & demum illis penitus concordem eum oſtendere profitemur, niſi vbi ipſemet illis manifeſtò contrariari confirmet. Et hoc non in præſenti negotio ſolummodo dictum voluimus, verùm & in plurimis aliis id genus, ne veritas dilabatur, & concidat.

De Vertiginoſo etiam affectu ſecũdo in

Gale.2.in 1.prog.4. cl.176.D. primum prorrhetici commentario hæc ſcripſit Galenus, præter hæc quoque ſatius erat ita in vniuerſum quod medicis omnibus eſt confeſſum, & non minimè idiôtis notum dixiſſe: imbecillas habentes vires, purgandos non eſſe. Nempe ex eo, quòd intumeſcant, ſintque σκοτώδεις, id eſt, vertiginoſi, quod eſt in motionibus obtenebrentur, purgatione indigere videbuntur, qui per præſentem ſignificantur dictionem: ex eo verò quòd vires collapſæ ſint, vacuationem non ferent. Et ab Auicenna de vertiginis cura. 1. Auic. 1. 3. trac.5.c.3. 3. hæc continetur ſeries, Si autem fuerint cum ſanguine ipſo humores diuerſi, aut cauſa eius fuerint humores præter ſanguinem, tunc incipiatur ad euacuandum cum pilulis de hiera, aut infuſione aloës, ſi fuerint humores calidi, aut decoctione myrabolanorum citrinorum, aut decoctione epithymi. Et deinceps, Deinde euacua cũ cochiis, ſi virtus fuerit fortis, aut cum pilulis de picra, & infuſione aloës, ſi virtus fuerit minus fortis.

De Epilepſia inſuper, in documento de puero epileptico Galenus admonet, Accedente vere (nam ægritudines, quæ reuerti ſolent, quodammodo tunc moueri contingit) puerũ purgandum affirmo mediocri

galen. in docu. de pue.epi.7 cl.175. D.

dioeri purgatione. huic autem purgationi Dionyſius præſens medebitur: & quæ opus erunt, imperabit, accuratè cognoſcens, quónam modo ad purgationem corpus præparare oporteat, & quo vti debeat pharmaco, quáve quantitate, & quo tempore. Et infrà, Probè cognoſcens, quòd ſumma curationis in hiſce duobus verſatur, in vſu videlicet à me tibi dati pharmaci, & in exercitij modo: alia nanque omnia horum ſunt præparamenta quædam. Et amplius infrà, Mihi non parum ſæpe contigit puerum à comitiali morbo penitus liberaſſe, non immutata victus ratione, quum poſt primã purgationem oxymel ſumere, eóque vti pharmaco iuſsiſſem. Proinde tertio de locis affectis, de affectu eodem à Galeno ſic refertur, Sed puerum quoque cuius morbus comitialis à crure oriri conſueuerat, medici qui tunc ad curationem conuenerant, ſanare ſperabant, ſi in primis vacuato vniuerſo corpore, medicamen ex thapſia aut ſinapi, parti adhiberent ligato in medio membro, ſupra eam videlicet partem, quæ diſpoſitione erat affecta: atque hoc pacto acceſsionem reuerti prohibuerunt, quanuis anteà quotidie puerum infeſtare conſueuiſſet. Et hæc in veteri verſione ter-

gale. 3. de loc. affe. 4. cl. 19. G

tio de interioribus libro, ſeptimo capite, perſpicua magis conſpiciuntur. At planiùs expoſuit Princeps intentum de cura
Auicē.1.3. epilepſiæ, his ſcriptis, Et quum fuerit epi-
tra.5.c.11. lepſia cauſa cerebri, tunc melius eſt euacuetur cum helleboro, & cum eis, quæ ſunt talia, & pulpa colloquintidæ, & ſcammonia, & hiera, cum decoctione agarici, faciendo ſolutionem poſt ſolutionem in anno. Quúmque neceſſarium eſt, vt phlebotomia fiat (ex quocunque humore ſit) oportet, vt non ſis diminutus in ea, imò fiat ex duabus cephalicis ſimul, & ſequatur phlebotomia venæ, quæ eſt ſub lingua, & quandoque ventoſatur collum, vt materia in hebdomada trahatur à cerebro, ſi illic non fuerit ex complexione cerebri, & debilitate ipſius, quod eam prohibeat, & quandoque tibi neceſſarium eſt, vt phlebotomiam multiplices, quum ergo illud feceris, oportebit vt quieſcere facias per hebdomadam, deinde ſolue cum potionibus, & clyſteribus quæ ſint ex centaurea, & pulpa colloquintidæ, & kerua, & reliquis, & deinde fac quieſcere, pòſt pone ventoſas ſuper elcheel, & caput, & nocrati colli, & ſuper crus. deinde fac eum quieſcere, poſteà ſolue, & nõ ceſſes procedere ſecundum quie-
tem

tem,& iterationem,vsque quo purgetur.

De Vlceribus quæ capiti adueniunt, secundo de morbis Hippocratis hęc scriptio est, Quum verò caput vlcerum complectur. Et inde, Quum sic habet, medicamentum dato, quod pituitam, bilémque suprà purget. si verò frigeat, præfoueto: lauatóque calida, post tres dies medicamento caput infrà purgato, deinde serum si tempus anni sit, potato. Et infrà, Si verò quum hæc feceris, morbus alia corporis parte pullulet, capútque vlceratum sit, quũ caput purgaueris medicamentum infrà potato, deinde caput radito. Et Galenus primo de compositione medicamẽtorum secundum locos, de alopecia, caluitie, & ophiasi, scripsit: Quare in istis primum totius corporis purgationem adhibebis, aut pharmaco pituitam educente exhibito, aut quod bilem pallidam, aut nigrã trahit: coniectura redundantis humoris, ex colore cutis facta: ego semper per hieram purgaui, aliquando veratro nigro adiecto, vbi atræ bilis expurgari volui humorem, aliquando scammonia, si amara bilis purganda esset. si verò pituitosiorem exuperare coniecissem humorem, nihil admiscui. Et infrà, Si quidem igitur vitiatus humor circa vnum locum fuerit

Hip. 2. de mor.

Gale. 1. de cõp. med. loc. 5. cla. 124. E.

collectus, ſcopus medendi erit, vt is quàm celerrimè euacuetur, prius quàm ab ipſo cutis in quendam malum habitum deducatur. Deincépſque, Ego itaque (quemadmodum noſtis) etiam iam factas alopecias aliquando ſola purgatione ſanaui, nullo amplius medicamento poſt ipſum ad locum affectum admoto. Et ad calcem quartidecimi methodi reliquit, Ab hinc curationis rationem inuenias, quæ vtique per indicationes omnibus iam dictis, in quibus vel aliud quoduis vitium, vel etiam vlcus, ex humoris vitio incidit, communis peragetur: ſiquidem & inhibere quod influit, & abſumere, ac digerere, quod iam ægrotantem locum occupauit, conueniet. Ergo ceu in vlceribus illis purgationem nocentis ſucci primùm adhibuiſti, eodem modo in pilis ipſis ab hac primùm curationem incohabis: ſcilicet prius æſtimans quis cutis color ſit, cuius cernis corruptos pilos, & reliqua: Et de remediis paratu facilibus libro, De manantibus capitis vlceribus quæ ſequuntur aduniuit, videlicet: Curatio eſt, ſi quidem graue, ac magnum fuerit vitium, corporis totius vacuatio catapotiis ex ſcammonia, aloe, & colocynthide, hæc enim æquali pondere contrita excipiuntur braſ

galen. 14. metho. 7. cl. 93. F

gal. de re me. par. fac. 7. cla. 149. F.

ſicæ

ficæ ſucco, ac conformantur in catapotia erui magnitudine. Et poſtmodum de alopecia,& ophiaſi,capite,adiecit in ſuperiori libro, Eſſe porrò omnia hæc vitioſi ſucci germina neminem fugit. In quibus igitur cutis color in capite apparet, albidior à corrupta pituita vitium eſſe indicat.quod curatur medicamentis pituitam educentibus, necnon apophlegmatiſmis, hoc eſt,medicamentis quibus per os pituita purgetur,in quibus autem color apparet pallidior,vtendum medicamentis,quæ bilem pallidam vacuent:ſicuti his, quæ nigram,vbi color apparuerit nigrior.Neceſſum enim totum prius corpus purgari, quàm loco affecto topica,id eſt,localia dicta remedia applicentur,ne his irritato affectu plus etiam affluat ad membrum vitioſi ſucci.cuius rei quum præpurgato toto corpore nullum ſit periculum, tum demum localibus remediis vtendum. Eis omnibus conſimilia de cura alopeciæ, & tyriæ,quarto canonis reliquit Auicenna, Et incipiat prima res cum euacuatione corporis in primis ab humore faciente,cũ medicinis educentibus ipſum, aut cum phlebotomia, ſi materia indiguerit illud: deinde cum euacuatione capitis ab eo, cũ quo ſciuiſti de caputpurgiis.Et inde ſequẽ-

Sup.H.

Aui.7.4. tra.1.c.6.

tia quamplura videri poſſunt.

De oculorum inſuper paſsionibus ab Hippocrate in tractatu de ſpecie, viſúve, ſcriptum accipitur, Quum oculorum vitiū anniuerſarium eſt, vigétq; cõmuniter, caput ventriculúmque inferiorem purgato, corpúſque, ſi habent ſanguinem, mittito, cucurbitulæq; ſecundum venas admotæ, ad quoſdam horum dolorum faciunt. Atque libro de locis in homine, Hunc ſic curato, medicamento non valido caput purgato, corpúſque cibis, medicamentíſque ſubducẽtibus emaciato, vti ſicceſcat: quod quum feceris, medicamento naribus indito, defluxio illa eò deducatur: oculis verò nihil apponito. Atque oraculorum ſexta ſectione, Dolores oculorum meri potio, aut balneum, aut venæ ſectio, aut medicamentum epotum, ſoluit. ac à Galeno de remediis paratu facilibus libro, de vitiis oculorum, hæc traditur ſcriptio, Si quidem ſanguis in fronte vaſa præ plenitudine diſtenta fuerint, ita vt vltra ſe proferat conſpiciendam ſanguinis plenitudo: Curat facta mox ab initio venæ ſectio, niſi quid prohibeat hanc fieri, ſicuti eas quæ ab aliis cauſis fiunt, atque infractu concitantur, ventris per medicamenta vacuatio. Inde veluti exem-

Hip. de viſu.

Hippo. de loc. in ho.

Hip. 6. aphor. 32. Ext. 50. H

Gal. de re med. par. fac. 7. cla. 151. C.

plo ter

plo tertiodecimo de medendi methodo firmatur, Siquidem his quibus oculi tentari phlegmone cœperant, nonnullos ſola purgatione per aluum vno die ſanatos vidiſti. Et eiuſdem libri ad calcem inſeritur, At humorum, vel flatuoſi ſpiritus extenſiones, curabimus vacuato priùs in his toto corpore: Sed & humorum momento deorſum auerſo. Et tractatu de oculis, quiſquis eam pertractauit rem, ſic admonet, capite de cauſis, & cura dolorum oculorum, Si ſit propter humores acutos, pharmacia detur, materia deorſum ducatur, & oculi albumine oui lauentur: purgato corpore, aut apoſtemate maturari incipiente, balneum diligenter aptetur. Et infrà capite ſexto, conſcripſit, Pruritus ſicut apoſtema curetur, purgatione corporis, & diſſolutione materiæ intus clauſæ, Et capite de cauſis vlcerum addit, Si cauſa ſint humores ad illud fluentes, corpus purgetur pharmacia, & phlebotomia. Et de vulneribus oculorum, Inueſtigandum quoq; vnde humores ad oculos fluxerint: quo perfecto caput & corpus expedit purgari: deinde apponere colyria deſiccantia. Et de ſuffuſione ſcribitur deinceps,

Galen. 13. metho. 7. cla. 83. F.

Sup. 86. G

Gal. trac. de ocu. 7. cla. 165. G

Sup. 286. A.

Suffuſio,id eſt viſus defectio ſic curatur, caput & totum corpus purgetur(vt diximus) dieta ſit tenuis, inde vtatur colyriis. Et quarto de locis affectis de ea commemorans paſsione ſic ait Galenus, Quippe ſi à ventriculo prouenerit accidens huiuſmodi, medicamento potui dato facillimè curatur. Expreſsítque ſextæ particulæ citati oraculi in commentario ſeriem hanc, Quando non omnino influit in oculos fomentum, diſſoluens eam: quæ in ipſis continetur ſuperfluitatem eis ſanitatem reſtituit, quum verò adhuc influit cùm primùm adhibetur, ſuo calore aliquod affert mediocre leuamen: Sed paulò pòſt dolorem auget: & tunc fit ſignum dignoſcitiuum, ex quo nos diſpoſitionem comprehendentes, ad totius corporis euacuationem peruenimus: ipſo quidem ſanguine redundante per venæ ſectionem, ſed malitia humorum infeſtante per purgationem: neque enim eſt difficile admodum diſtinguere alteram ab altera. Illis autem conſentientia, ſexto in ſextum de morbis vulgaribus conſcripſit hæc, Oculis verò dolentibus, horum nihil facimus, ſed vniuerſi corporis inutilem materiam priùs medicamento educimus. Quòd ſi redundet ſanguis ad cubiti venam exterior

gale.4.de loc. affe. 4.cl.22.A

gale.6.aphor.31. Ext.50.H

gale.6.in 6.de mor. vul.3.cla. 188.D.

riorem, quam humeralem vocant, ſcindendam accedimus, deinceps medicamine aliquo quàm mollißimo, & neutiquàm mordaci, vtimur, deinde per totum diem vſque ad veſperam vino abſtinentem, ad balneum ducimus. Quòd ſi neque purgatione, neque venæ ſciſsione indigeat, dictis medicamentis, & poſt ipſa lauatione (ſicut nouiſtis) eiuſmodi dolores medicamur. Prædictis adſtipulantur longis ſcriptionibus, longéque diuerſis capitibus, deſcriptæ 3.3. Principis ſeries: Verùm nobis eaſdem ſecundum ordinem hunc noſtris inſerere liceat. De ophthalmiæ cura igitur ſcribuntur hæc, Et oportet inquantum poſsibile eſt, vt tardetur in ophthalmia colyriorum administratio vſque ad tres dies, & ſufficiat regimen prædictum ex euacuationibus, & extractione materierum ad extrema, & aſsiduet quod diximus ex locis, & diſpoſitionibus: deinde ſi poſt illud adminiſtretur colyrium, non erit malum. plerunque enim ſanatur ophthalmia his rebus abſq; cura alia. naturę verò lenitas eſt res, quę eſt neceſſaria, imò etiam eſt neceſſarium vt ſolutione educatur humor dominans ſanguini poſt phlebotomiam. Et de cura ophthalmiæ calidæ, Regimen commune ophthal

Auic. 3. 3. tra. 1. c. 9.

Cap. x.

thalmiæ cuius cauſa eſt materia cholerica, aut ſanguinea, eſt phlebotomia, & euacuatio. nam ſi cauſa fuerit ſanguis cholericus, aut cholera ſola, confert cum phlebotomia & euacuatio. nam ſi cauſa fuerit ſanguis cholericus, aut cholera ſola, confert cum phlebotomia euacuatio ex decoctionibus myrobalanorum, & quandoque ponitur in ipſa turbith: & ſi cum ea fuerit aliquantulum groſsitiei, & ſciueris quòd materia ſit imbibita velaminibus cerebri, confortabis eam cum hiera pigra. Et inferiùs, Quòd ſi materia fuerit cholerica, euacuabis poſt phlebotomiam cum eo, quod educit choleram. Et amplius: In eryſipila autem, quæ eſt ex ſumma illius, oportet vt adminiſtretur poſt euacuationem cum ſolutiuis, & clyſteribus, emplaſtra facta ex corticibus granatorum. Et ibi ſequenti capite ſcribitur, In ophthalmia frigida facta à materiis frigidis, oportet vt euacuetur humor frigidus, & quandoque eſt neceſſarium iterare, ſiue ſit potio, ſiue clyſterizatio, ſiue gargarizatio. Et ſecundo eius fen tractatu, De cura exitus oculi, Quæ verò fortis eſt, ex ea tunc ſi illic eſt materia, indiget mundificatione eius à corpore, & capite, cum eo quod ſcis ex ſolutiuis, & phlebotomia, & ventoſis ſuper

Cap. 2.

Auic. 3. 3. tra. 2. c. 32

duas

duas eminentias posterioris capitis, & clysteribus acutis, & penitus quidem solutio ventris est ex rebus magis iuuantibus species eius. Ac de noctilopæ cura, tractatu quarto, talis adest scriptio: Tract. 4. cap. 6. Si illic fuerit multitudo, phlebotoma cephalicam, & angulos lacrymales: & administrentur reliqua euacuantia nota, & iterentur. & quandoque euacuatur cum scammonea, & castoreo, & confert. Et sermone de cura imaginationis, In Cap. 11. portendentibus verò aquam, oportet vt incipias, & mundifices corpus, & propriè stomachum. Et infrà, Et oportet vt sit mundificatio per hieram picram, aut pilulas aureas secundum semitam pilularum assaiaret frequenter valde. Atque de latitudinis vueæ cura, præmisso quòd sit vacuationibus vtẽdum, adiecit, Et nõ opor Cap. 14. tet vt multiplicentur vacuationes cum solutiuis, & debilitetur virtus, & non euacuetur, quod quæritur, imò quandoque sufficit ei euacuatio omnibus decem diebus cum ℥. 1. ß. de pilulis cochiis.

De aurium affectibus ab Hippocrate libro de locis in homine relictum est, Hippo. de loc. in ho. Qui dolor si his non sedetur, medicamenta naturaliter frigida, nõ calida infundito, potionémque dato, quæ per inferna

purg

purget, per ſuperna verò non, quoniam vomere nihil opitulatur. Scribitúrque ab Auicenna 4.3. cap. 8. Quòd ſi cauſa fuerit repletio in corpore capitis, oportet vt euacues partem capitis ex genere illius repletionis: calida nanque ſi eſt cum phlebotomia, & euacuatione, quæ fit cum mundificantibus caput à materia calida, ſecundum quod ſciuiſti: & ſi humor eſt groſſus, viſcoſus, tenax, cum pilulis aſceibar prædictis, & gargariſmate: & ſi eſt tenax, fixus in parte auris oportet vt adminiſtres poſt ſolutionem medicinas lenitiuas, deinde vice alia cum eo, quod euacuat ipſum ex membro.

Auic. 4.3 cap.8.

Ad grauem auditum etiam de remediis paratu facilibus libro habet Galenus, Subduc initiò ventrem catapotiis ex colocynthide. Et tertio de compoſitione medicamentorum ſecundum locos, Quapropter per hieram purgandi ſunt, & per catapotia ex colocynthide. Atque Auicenna cap.5.ſup. In eo, quod eſt cholericum, oportet vt euacuetur cholera cum ſolutiuo ventris: Et inde plura, ſenis oracula vigeſimo octauo, & ſexageſimo quartæ ſectionis imitantia.

Gal. de reme. par. fac. 7. cla. 50. F.
Gal. de cō poſi. me. loc. 5. cla. 149. G.
Auic. 4.3. cap. 5.
Hip. 4. apho. 28. & 60.

De linguæ tumore 14. methodi ſcripſit Galenus: Sanè linguam ita tumefactam cuidam

galen. 14. metho. 7. cl. 89. F.

cuidam vidimus, vt ore hominis contineri non posset, is nec venam inciderat vnquã, & sexagenarius iam erat, horáque diei ferè decima erat, quum ad eum accessi, & vidi, ac visus mihi est vsitatis mihi pilulis, quæ ex aloë, scammonia, & colocynthide, constant, vespere datis purgandus. Et largius ibidem cætera ab his Auicennæ parum diuersa. 6.3. De cura apostematum linguæ: Hoc nanque præscripto ad capituli frontem: Apostemata quidem calida curantur imprimis cum phlebotomia, & solutione vẽtris, & illud melius est in apostematibus linguæ, quàm vomitus. amplius infrà roborauit his verbis, Inquit Galenus, Apostemata fuit lingua cuiusdã hominis apostemate magno, qui erat sexagenarius, & non fuerat consuetus phlebotomari, quare non phlebotomaui eum. Sed feci eum potare pilulas cochias, & vt lingua eius inuolueretur emplastris frigidis volui. Sed ipse erat stultus, inobediens medico suo: vidit itaque in visione illa nocte, vt teneret in ore suo succum lactucæ, quod & fecit, & sanatus est integrè: & fuit conueniens illud, & mirabile. Auic. 6.3. cap. 15.

De Angina insuper tertio de morbis ab Hippocrate scribitur, Sanguen huic sub mamma depleto: spiritus enim cali- Hip. 3. de mor.

dus

dus hac de pulmone ſequitur: medicamentóque vel lauatione, ſubter purgato: fiſtuláſque in fauces dato ſpiritum vti in pulmonem trahat, curatóque vti citò ſpuat. Et deinde, Quum verò morbus remiſerit, cibóſque guſtet, nouo elaterio purgato, ne

Hip. 4. in acut. 7. cl. 136. E.

in aliud malum cadat. Atque quarto de victus ratione in acutis ita commemoratur, Porrò ſi angina fuerit, & ſi aliud quicquã ex pleuriticis malum, ecligmate repurgato. At ſi æger ob copioſam ſanguinis miſſionem imbecillior fuerit, clyſmum tertio quoque die ventri infundes, donec in tuto æger fuerit, & fame indigeat. Sícque eo loci Galeni interpretatio eſt: Quòd

Gal. ſup. F

autem ſcopus illi ſit non ſolùm alimenti excrementa ſubducere, verùm quoque & paſsim locum expurgare. Et ſexto, de compoſitione medicamentorum ſecundum locos, de iis quæ Archigenes reſcripſit ad gurguliones inflammatos hæc habet: At verò venam ſecare, & eluere forti, atque acri clyſteri, & purgatoria exhibere, gratia euacuandi vniuerſum corpus, & transferendi infra humorum momentum, qui ad affectas partes feruntur, rationabile eſt, & multa experientia iudicatum, ac cognitum. Similiter & poſt totius corporis euacuationem, & diuerſionem

Gale. 6. de cõp. med. loc. 5. cla. 180. G.

nem ad infernas partes, pharmacis acribus multum discussoriis vti, rationi consentaneum est: & experientiam testem habent. Et quarto de victus ratione in acutis, hæc dereliquit, Corpus autem totum vacare excrementis debet, & non plethoricum esse, geminam ob causam: nempe tum ob eam quæ ab euacuatione est reuulsionem, tum quòd vacuato corpore, quum à parte affecta, quod influit, expellimus, id facilius consentit: nihílque si calido aliquo euaporare volueris, à corpore ipso parti calefactæ mittetur. Corpus igitur totum vena secta vacuare oportet, & purgatione, & clysteribus. Subscripsítque & proprio loco nona fen tertij Princeps his verbis, Oportet vt euacuetur in principio vniuscuiusque illorum materia, faciens illud cum phlebotomia, & solutione ventris, & vt trahatur materia ad partem diuersam saltem cum ventosis positis super loca longinqua opposita ei, & ligatione extremitatum. Gal. 4. in acut. 7. cl. 138. C. Auic. 9. 3. c. 10.

De his etiam, qui in pectore fiunt affectibus, ac pulmone: De sanguinis expuitione, secundo de pasionibus ab Hippocrate conscriptũ est: Quamprius per exordia si hũc cures scammoniæ succo, si febre Hip. 2. de pas.

careat per inferna purgato:post purgatio-
nem,quæ priùs porrigito.Habet & quinto
Galen.5. de medendi methodo Galenus, Oportet
metho.7. autem in principio nullius rei æquè solici-
cla.35.5. tum esse,quàm vt neq; tussiant,neq; ex ca-
pite aliquid in pulmones defluat.cauetur
id triplici præsidio, purgatione primùm,
secundò medicamine, quod diaspermaton
dicitur,tertiò ipsi capiti prouidendo.quod
purget diuersas facultates habeat oportet,
cuius generis nostræ sunt pilulæ, quæ ex
aloë, scammonia, colocynthide, agarico,
bdelio, & gummi componuntur. posteà
verò si res postulabit etiam his quæ nigrã
bilem expurgant, vtare. Consimilia & ita
Aui. 10.3. retulit Auicenna 10.3.tra.3.cap.6.videli-
tra.3.c.6. cet,Et necessaria est ventris solutio, cum
eis quæ sunt sicut pilulæ cochiæ, si est illic
multitudo, & illud post phlebotomiã,de-
inde adhibeantur medicinæ rubificantes.
Et infrà,Et si fuerit scissura,& incisio,cau-
sa acuitatis sauguinis,fiat illud,quod opor
tet de declinatione sanguinis ad inferio-
ra,& ad diuersitatem partis, & euacuetur
cholera: deinde fiat infrigidatio cum for-
titudine,& fiat humectatio. Ac deinceps,
Et ad summum cura eorum est mundifi-
catio cum euacuatione, cum phleboto-
mia, & aliis.

De fluxione etiam, catarrhóve, libro de locis in homine ab Hippocrate talis colligitur series: Quum autem per palatum in ventriculum defluet, compunctio subter fit. huic verò si dolor in ventriculo sit, primùm medicamento, vel iure subducito: deinde valido medicamento vtitor. Et à Galeno sexto de sanitate tuenda, Quod autem in ventrem confluit, id vomitione, vel ventris solutione expellendum est: stomachus verò cibis quidem quotidie, prius quàm bilem contrahat firmandus, purgetur verò medicamentis ex maiori interuallo. Et à Principe 5. 3. proprio capite, Materiei autem diminutio est, cum administratione mundificationis capitis, in calida quidem cum phlebotomia, & solutione ventris educente humores calidos, & clysteribus trahentibus materiam ad inferiora, & in frigida quidem cum medicinis soluentibus phlegma in capite, quæ sunt ex eis quæ bibuntur, & ex quibus fiũt clysteria.

Hippo. de loc. in homi.

Gale. 6. de tuẽ. val. 2. cla. 96. H.

Auic. 5. 3. tra. 1. c. 13

De pleuritide insuper, tertio de morbis ab Hippocrate hæc exarantur, Quos sic curato quemadmodum ferè phrenitim, peripneumoniámq;, nisi in his, calidis balneis, vinóque dulci vteris. quem si primo, vel altero die post accessionem curandum

Hip. 3. de mor.

ſumas, ſi purum, leuitérque bilioſum, paucúmque, oletet, thapſia ſubluito. Si autem venter motus nocte demittat, poſtridie doleat, torqueátque, rurſus ſubluito. Si verò languens natura bilioſus ſit, morbóque hoc non purgatus corripiatur, priuſquàm bilioſum ſpuat medicamento bilem probe purgato, ſpuenti verò iam bilioſa medicamentum ne dato. Quod ſi dederis, ſpuere non poſſet, ſeptimanúſque, vel nonarius, ſtrangularetur: magíſque ſi præcordia doleat. Atque de paſsionibus

Hipp. 1. de paſ.

primo, hæc continetur ſeries, Quod lateris, coſtæ've dolorem bilémque, ac pituitam, de latere deducat, huic dato, dolórve mulceatur, lauationéque refrigeratoria ventrem ſubducito, quæ huic morbo maximè confert. Et ſecundo de victus ra-

Hipp. 2. in acu. 7. cla. 117. H.

tione in acutis, Si verò eas quæ ſub ſepto tranſuerſo ſunt partes, dolor infeſtat, nullúmque ad clauiculam dolor ſignum fecerit, ventrem vel nigro veratro, vel peplio, mollire oportet. Et quanuis in ex-

Gale. ſup. 118. B.

poſitione huius ſcribat Galenus, Vbi igitur inquit non ſolùm acutus morbus fuerit cuiuſmodi eſt pleuritis, verùm & cum febre vehementiſsima, multò magis vitanda eſt purgantis medicamenti adminiſtratio, atque per ſectionem venæ, etiam

ſi ac

ſi ad hypochõdrium dolor finiatur. Nempe etiam ſi minus quidem auxilium quàm per purgationem ſequatur, ſecurius tamen multo exiſtit, imò nullũ ex eo quod per venæ ſectionem fit, periculum impendet, eo diſcrimen maximè ſubeunte, quod per purgationem tentatur: & potiſsimùm, ſi laborantis naturam expertus quis non fuerit. Adiecit attamen demum, Quum igitur febris vehemens non fuerit, naturámque laborantis expertus fueris, ad medicamenti purgantis potum te conferes his, quæ ab Hippocrate dicta ſunt, vel etiã aliis ſimilis naturæ vſus. Habetúrque ab Auicenna 10. 3. de cura pleureſis, Et ſi eſt humor alius, euacua cum eis, quæ ſunt ſicut myrobalani, neque in quo eſt ſtipticitas, imò cum eis in quibus eſt cum ſolutione lenificatio, ſicut res factæ cũ violis, & ſiracoſt, & tereniabin, & zuccarũ alhaizez, & ſoluantur in nocte. Quidam verò ſapiẽtum dixerunt, quòd rectius eſt (quantum poſsibile eſt) vt euacuetur cum phlebotomia, timẽdo inquietudinem in quã quandoque cadere facit ſolutiuũ, & nos iam diximus illud, & propriè, quando ſputum eſt cholericũ valde, & propriè ſecundũ quod dixit Galenus, quando febris eſt vehemens valde. Et inde quamplura.

Aui. 10.3. tra.5.ca.2

De ſtomachíque affectibus, octauo de compoſitione medicamentorum ſecundũ locos de confectionibus ſtomaticis Andromachi, poſtquàm humores purgandos ſcripſiſſet, adiecit Galenus: Craſſos enim humores ob purgatoriæ facultatis imbecillitatem, aloë trahere non poteſt, quapropter bilioſarum ventris affectionum optimum pharmacum eſt, adeò vt in vno die ſæpe multos ſtomaticos creditos perſanet. Et ſeptimo de medendi methodo, hæc habentur de ſtomachi humiditatibus, Nec illud latet, ſi propter æqualium in toto corpore ſuccorum redundantiam ventriculus fluxione tentatur, totum corpus vacuandum eſſe. Simili modo, ſi propter mali ſucci abundantiam, eam expurgandam eſſe: atque hinc ad ventriculũ veniendum. Et de debilis ſtomachi affectus curatione. 13. 3. tra. 2. ca. 9. hæc ſcripſit Princeps, Et ſi fuerit illic materia euacuabis eam in primis. Et infrà, In ea autem quæ fit cauſa humoris cholerici, aut humoris ſubtilis, fiat euacuatio cum eis, quæ ſcis ex myrobalanis, & ſyrupus acetoſus cum aloë eſt melior ſyrupo acetoſo cum ſcammonea: ſcammonea nanque inimica eſt ſtomacho.

Gale. 8. de cõp. med. loc. 5. cla. 195. E.

Galen. 7. metho. 7. cla. 48. F.

Auic. 13. 3. tra. 2. ca. 9

Hip. 2. de paſ.

De Hepatis affecti curatione ſecundo de

de paſsionibus ab Hippocrate ſcribitur, Quum ſic habet, primíque dies tranſierũt, hunc foueto, deinde ſcãmonio ſubter purgato, ſi venter combuſtus ſit, quibus priores ſubluito. Et Galenus tertiodecimo methodi habet, Procedente autem tempore vbi phlegmone iam cõſequitur, etiam valentioribus vti licet aſſaro, & celtica nardo, & phu quod vocant, & petroſelino, & ſmirnio, & mio. ſicut etiam per ventrem euacuare, ſi cauum afficitur cnico cibis admiſto, & vrtica, & mercuriali, & epithymo, & polipodio, omnibus prætereà quæ modicè aluum deiiciunt: magíſque in remiſſionibus tum his ipſis audacius, quàm ante vtendum, tum verò, quæ his ſunt valentiora, partim in ptiſana coctis, partim tunſis, & in mollisſimum puluerem redactis. Habet & Auicenna 14.3. de cura apoſtematis calidi quamplura, ſed hæc ſcribantur dũtaxat, Euacua ergo ex apoſtemate quod eſt in concauitate ex latere ſolutionis ventris, & illud quod eſt in gibboſitate ex prouocationis latere: & caue ne dimittas naturam remanere reſtrictam. in hoc enim eſt nocumẽtum magnum, & in ipſo eſt periculum, & non etiam dimittas eam ſolutam ſuperfluè, & cadat virtus, & debilitetur natura, imò supereſt tibi, vt re-

Galen. 13. meth. 7. cla. 84. E.

Aui. 14. 3. tra. 3. cap. 12.

ſoluas conſtrictam, cum æqualitate,& cõ-
Cap.13. ſtringas ſolutam cum æqualitate. Et capi-
tulo de cura eryſipilæ, Cura eryſipilæ pro-
xima eſt curæ phlegmonis, verùm opor-
tet vt ſit ventris ſolutio,& vrinæ prouo-
catio, ſublimiores: & cum eis quæ ſunt
decliuiora ad ſubtilitatem. Et de cura al-
Cap.14. dubellati, Et ventris quidem ſolutio ne-
ceſſaria eſt propter duas res. Vna earum
ante eruptionem, vt minuatur materia, &
alleuietur ſuper naturam: & ſecunda poſt
eruptionem,& complementum maturita-
tis, quando ſcitur quòd materia ad partem
inteſtinorum eſt decliuis,& quòd dubella-
ti eſt in latere concauo. Et inibi quamplu-
ra propoſito deſeruientia conſpicienda, ſi
lubeat, prætermittimus.

Hippo.de loc.in homi. De Hydrope etiam, libro de locis in ho-
mine interſeruit Hippocrates, Sic curato,
ſi magis in carnem deuenerit, extra foue-
to: ſi ventriculum verſus,& intro, quod fo-
ris non pateret, medicamentum potan-
dum dato: ſin autem in vtranque defluat,
vtrinque ſubtrahito. nam curandum eſt
vti quamproximè emittas: ſiue ſuperne,
ſiue per inferna, ſiue quacunque corporis
Libro eodem. parte commodus exitus ſit. Et infrà libro
eodem, Quod ſic curato, medicamenta
quibus aqua ea purgetur, vt educatur pro-
pinato.

pinato. Si verò ne sic quidem leuetur, tenuissimis ferramentis quàm maximè superiore cutis parte duabus lineis vrito circa vmbilicum. His consona Primo de passionibus, & hæc sunt, Quem si per exordia sumas, priusquam aqua crescat, medicamenta potato, quibus aqua, & pituita per inferna purgetur: bilem verò ne moueto. Et de passionibus secundo, Quum sic habet, hunc per exordia sic curato. veratrum suprà dato, cneoron infrà, vel hyppopheos succum, vel gnidium granum. Atque infrà, Quum sic habet, hunc cneori, vel hyppopheos succum, vel cnidium coccum dato. quæ medicamenta sic porrigito, cneoron quidem sexto die, hyppopheos succum octauo, coccum cnidium decimo, donécque purgentur, & lubricentur, dato. Galenus etiam nono de compositione medicamentorum secundum locos, ex Archigenis secundo libro pharmacorum per genera, hanc dereliquit seriem: Egregiè ipsum per aluum purgat, aut veratrum nigrum, fel taurinum, nitrum, piper, æquis partibus cum melle, aluo per dimidiæ horæ spatium imponito. Porrò per omne curationis tempus vnam aliquam ex his potionibus ipsis propinato, cotyledonis 3.1. Scillæ

Hipp.1.de pas.

Hip. 2. de pas.

Gale.9.de cōp. med. loc.5. cla. 20.H.

aridæ

aridæ mundæ 3.1. in vino mulſo diluto quotidie exhibe. Et inde quamplura. Atque Auicenna planius, fuſiúſque 14.3. tra.
Aui. 14.3. tra. 4.ca. 13. 4.cap. 13. id explicauit ibi, Canon communis in curis eorum eſt exiccatio, & extractio ſuperfluitatis, & ſi non cum alio ſaltem cum ſtatione in ſole, vbi non eſt ventoſitas, calefaciendo ad ignem accenſum ex lignis exiccatis: & comedere cum menſura, & dimittere aquam, & aperire poros, & prouocatio frequens, & ſolutione ventris educere aquoſitatem cum facilitate, frequenter. Et inibi quamplura videnda pertranſimus hîc, & ea quæ capite de cura cachexiæ, clariſsima in hac ſententia præmiſerat.

De lienis præterea affectibus primo de paſsionibus ex Hippocrate ſcribitur, Qui
Hipo. 1. de paſ. magnum lienem habent: Et inde, Quibus confert ſi purgati non ſint, caput, & corpus, purgare: quo ſi non egeant, pi-
Hip. 2. de paſ. tuitoſos ſic nutricato. Atque libro ſecundo, in primo lienis morbo, Quum ſic habet, hunc & veratro, & cocco cnidio ſubter purgato. Et in tertio lienis morbo, Quum ſic habet, quibus priorem, & hunc curato. medicamenta tamen ſuprà ne dato, ſed infrà: poſtridie coccum cnidium, lactis equini decocti cum melle cotulas

octo

octo propinato: si minus bubulum, caprinúmque, similiter alternatim, post autem purgationem vesperi, quæ priori post medicamentum dato. sique videatur, de sinistri cubiti vena interiore sanguinem mittito. Scribitúrque à Galeno vndecimo methodi, Hæc igitur quum medicorum vulgus ignoret, omnes oleo perfundunt, & cataplasmatis relaxantibus curant, priusquàm corpus vacuetur, omniúmque maximè diuites, quibus non solùm in talibus obsequuntur, sed etiam eos lauari in balneo permittunt. Ego verò nec eorum, qui ex putrescente humore febricitent lauem quenquam, nec relaxantibus cataplasmatis priusquã superuacua purgarim vtar: his vacuatis non solùm audacter lauem, sed etiam cataplasmatis vtar. Habétq; de curationibus duritiei splenis 15.3. Auicenna, Et quandoque indiges vt consequaris eam cum euacuatione per ea, quæ educunt melancholiam, de quibus dictum est in capitulo icteritiæ nigræ.

Galen. 11. met. 7. cl. 74. A.

Auic. 15. 3. tra. 2. cap. 7.

De icteritiæ autem curatione, Secundo de morbis ab Hippocrate derelicta est hæc scriptio. Quæ septem dies facito, si quidem his rebus color satis purgatus videatur, bene habet: si minus, tres alios dies eadem facito. post vnum, duósve dies, medicament

Hip. 2. de mor.

camentum naribus dato, post hoc medica-
mentum potato, quo bilis infrà purgetur.
Hipp.1.de pas. Et de passionibus primo alia hęc series ac-
cipitur, Qui si validius sit, caput purgato,
medicamentum deinde, quod infra bilem
purget, potato, posteà lotium cientibus vti
Hip.2.de pas. tor. Et Secundo de passionibus, Quum sic
habet si per morbi principia hunc adeas,
quum iam septem dies transierint veratro
potionato, ventriculúmque infra succo vti
priorem subter purgato, medicamētáque
cætera alia dato. Et infrà eodē libro, Quū
sic habet cubiti venam pertundito, sangui
némq; mittito, posteà foueto, & elaterium
propinato, tertióque die lacte asinino sub-
ter purgato. Et de quarto regio morbo cō-
Hippo.de loc.in homi. similiter ibidem. Habetúrque libro de lo-
cis in homine, Morbum quidem regium
arcuatū, seu icteron, quum curandum sum
pseris, hoc modo curato, pinguefaciētibus
cibis nutricato, corpúsque potionibus, &
balneis, madefacito tres vel quatuor dies:
quum verò maduerit purgato, desiccató-
que, pinguiáque statim submoueto: medi-
camentúmque, si queat quod vndique hu-
miditatem educat propinato, capútq; me-
dicamento non valido purgato, lotiúmq;
Gale.5.de loc. aff.4. cla.35.H. mouentia, & ante, & post cibaria potato.
Galenus etiam quinto de locis affectis hāc
interf

interſeruit ſententiam, Quibus verò citra febrem morbus regius accidit vrgente in dextra præcordiorum parte grauitatis cuiuſdam ſenſu, iis omnibus aperiens, vt ſcitis obſtructiones, & cibis, & potibus, & medicamentis extenuantibus, deinde medicamentum, quod bilem educere poſſet exhibens, eorum plurimos vna die ſanitati reſtituimus. Qui verò purgatione liberari non potuerunt, iis rurſus valentiore ad aperiendum data potione, medicamẽtum quod vehementius purgaret exhibui. Sic deinde ſub fine purgationis cærulea potiùs, quàm flaua bilis cum acri mordacitate ſecernitur. Et de eodem 15. 3. tracta. 1. capite 6. dictum eſt ab Auicenna, Aut euacuatio, quæ eſt cum ſolutione ventris, quanuis non euacuetur materia, & euacuatio cum vomitu: nam ipſe eſt iuuatiuus in omni icteritia: verùm in curatione nocumenti veneni abſciſsio cauſæ eſt melior, quod oportet præmittere, quare, & cum ea occupatio fiat primo: & icteritiæ quidem, cuius cauſa eſt complexio calida in hepate, aut in corpore, aut in felle, propter aliquam cauſarum propter ebibita, & comeſta, & quæ ſunt ex ambobus, cura eſt, ſi eſt illic repletio ſanguinea, & cholerica, cum euacuatione amborum in principio

Auic. 15. 3. tract. 1. Cap. 6.

rei, ſanguinis quidem per phlebotomiam ſicut baſilicæ: ſed choleræ per ſolutionem ventris, cum eis, quæ ſunt ſicut myrobalani, & fumus terræ, & ſicut cum ſcammonea in lacte acetoſo: & ad vltimum cum ſoluentibus cholerã. Et infrà, Et ſcias quãdo tu incipis cum ſolutione ventris, & non efficit impreſsionem, tunc tibi ineſt vti fortibus aperitiuis, deinde ſolutiuo forti.

Cap.7. Et capitulo ſequenti, In illa quidem, quæ ſplenetica eſt, conſidera, an ſit illic repletio ſanguinea plurima, quare phlebotoma baſilicam ſiniſtram, & ſaluatelam poſt eam. Deinde occupa te cum ſplene, & rectificatione oppilationum eius, & apoſtematum ipſius, & debilitate eius, & ſi fuerit illic cauſa multitudo melancholiæ propter illud, quod generat ipſam ex virtutibus, & cibis, ſecundum quod dictum eſt. Oportet etiam euacuare eam cum eis, quæ ipſam euacuãt, & ex illis eſt decoctio ſcolopendriæ cum helleboro dicta in antidotario, & euacuetur ex ea multotiens.

De colica etiã, & doloribus inteſtinorũ, Hipp.1.de paſ. primo de paſsionibus ſcribitur, Quare illis, qui his doloribus conflictantur, medicamenta ea dato, quæ hos dolores ſedare in medicamentario, pharmacidéve, ſcripta ſunt. Si verò dolor modò hanc ventris par-

tem

tem petat, modò illam, febréque is careat, calida hunc multa lauato: dolorísque causa ea propinato, quæ in laterum morbo, pleuritidéve sunt scripta, vel quæ tibi videantur. Si verò dolor non abigatur, medicamento subter purgato: cibaria dum dolor habet, ne dato. Dolores, qui sic vagantur, bile fiunt: qui sub vmbilico sunt molli lauatione subluito, si non sedetur, medicamentum sub dato. Et tertio de morbis habetur, Tenuiore intestino hi vellicantur, hyleíve fiunt. Et inde, Quos sic curato, superiorem ventriculum quamprimùm purgato, sanguénque de capite, brachióque mittito. Et Secundo de passionibus, Quum sic habet, hunc foueto, cneoron, vel hyppopheos succum, vel cnidium coccum propinato. post verò purgationem, quæ prioribus dato. Scripsit & Primo de locis affectis Galenus, Sic equidem quosdam cholicos vocatos sanaui, dato in potu medicamento ex aloë: quippe coniiciens mordacem humorem ad affecti intestini tunicas defluxisse, dato medicamento speraui omnino eiusmodi dispositionem fore quietiorem: quod vbi contigit, intelligens recta me ductum coniectura, rursus plus ipsius exhibui. Et duodecimo de medendi methodo hęc habet, Dein-

Hip. 3. de mor.

Hip. 2. de pas.

Gale. 1. de loc. affe. 4. cla. 5. F

Galen. 12. metho. 7. cla. 79. E.

de quum minus cruciatum intellexi, vitiosos humores purgandos iudicaui. quum verò aptissimum ad huiusmodi vitiosos humores esset medicamentum, quod ex aloë componitur, quod iam vulgo picram appellant, vtiq; semel hominem iustè purgare non sum ausus, quòd doloribus, & inedia, duobus mensibus confectus esset. verùm ex quibusdam interuallis moderatè id faciens, quindecim circiter diebus hominem, vt scis prorsus sanaui, ídque nullo præterea adhibito præsidio. Atque hic quidem illo primo tempore sic est vexatus, nunquàm prius intestini dolorem expertus. At alius iuuenis huic quidem ætate propè par, sed qui sæpe ante cholico cruciatu fuerat affectus, accepto scammoniæ succo fuit purgatus. Et infrà, Sin mordens humor est, qui affligit, aduersissima huic sunt quæ extenuant, & calefaciunt postulat nanque huius generis affectus (si modò curandus) vt ea quæ contristant vacuentur, si id omnino fieri nequeat, vt per epicrasin sanetur. Quòd igitur & secundum viam hanc euacuatio fieri debeat, & quo ritu, satis à Principe 16. 3. tracta. 4 cap. 1. explicatum haud ambigimus, quæ eo omnino videnda loco, ne prolixior hæc sit scriptio, nostris conticentur, quæqu

Aui. 16. 3. tra. 4. c. 1.

& capitibus reliquis continentur. ſed vigeſimi potiſsimùm hæ adiiciantur: Oportet vt euacues melancholiam cum eis quæ ſunt, ſicut decoctio epithymi, & pilulæ de lazulo, & ſimilia. deinde ſequere cum pilulis de alſebran, & ſerapino. & ſi neceſſaria ſunt clyſteria, ponatur in eis polipodium. Et inde, Inſuper trigeſimi primi capitis lectionis non pigeat: fusè nanque & quæ fidelem decet interpretem, & quæ medico inſigni digna ſint, in inteſtinorum doloribus eius mente conſpicuo apparebit, & ſatis. Cap. 20. Cap. 31.

De renum morbis, ab Hippocrate ſecundo de paſsionibus, de primo renum morbo hæc habetur ſcriptio, Quum ſic habet, prius corpus foueto, ſcammoniæ'que ſucco, vel eius radice ſubter purgato. poſtridie ciceris albi decocto ſale aſperſo duobus congiis propinato, & ſubter purgato. Et de tertio renum morbo, Quum ſic habet, ventrem epithymo, vel ſcammoniæ radice, ſubter purgato, quæ'q; lotij ſtillicidio laboranti propinato. De quarto etiã morbo, Quum ſic habet, ſicuti priora curato, per morbi exordia foueto, & ſubter purgato. Et infrà, Quum ſic habet, hunc elaterio, vel thapſiæ radice, vel veratri, vel ſcammoniæ ſucco, purgato: poſt pur- Hip. 2. de paſ.

Galen. de ren. affe. dig. 7. cla. 189. B

gationem quæ ſuperioribus porrigito. Et libro de renum affectus dignotione, ſecundum Galenum ſcribitur, Et iam aliqui dederunt medicamentum, quo aluus ſubducta eſt, & dolor ceſſauit primo, ſecundo, & tertio die, quarto prodiit lapis. Et exinde quamplura deſcribuntur. & infrà, Proinde doloribus ſiue repente, ſiue pedetentim in renem incurſantibus ex commemoratis iam cauſis, ilico (niſi quid prohibeat) aluum decocto aliquo eluemus, caricarum, fenogreci, ariſtolochiæ, & ſimilium, ac ſi validum ſatis eſt, bene vertit. ſin minus bis, ter, aut ampliùs vacuandum enemate eſt. His conſimiliter Auicenna 18.3. tra. 2. capite 3. adiecit, Initium curationis, eſt abſciſsio cauſæ per phlebotomiam ex baſilica, ſi ſanguis eſt vincens: & quandoque eſt tibi neceſſarium, vt conſequaris id faciendo phlebotomiam ex curuatura poplitis, & ſi non apparet vena illa, tunc fiat ex ſaphena. Et per ſolutionem ventris, etiam ſi ſunt cum ſanguine illic humores acuti calidi: & cum clyſteribus lenibus factis ex mucilaginibus quantum poſsibile eſt, & illud quod melius ſoluit eſt aqua caſei, & caſsia fiſtula. & in aqua quidem caſei eſt declinatio materiei ad inteſtina, & ablutio, & ab-

Aui. 18.3. tracta. 2. cap. 3.

ſterſ

sterſio, & infrigidatio, & maturatio cum facilitate.

De iuncturarum quoque doloribus, articulorúmve, in primo de paſsionibus hæc ſcriptio eſt, Coxendix autem iſchiáſve, quum fit coxendicis iunctura dolitat, acetabulum, ſummæ nates, totúmque crus. Confert huic calidis balneis, fomentíſque, quâuis doleat, fouere, ventrem ſubducere: quum dolor quieuit, medicamentum infrà dato, poſteà lac aſininum decoctum potato. Et infrà, Morbus articularis, arthritíſve, quum habet caput ignis, & dolor, corporis articulos, modóque hunc, vel illum grauius, leuiúſve, vexat. Quâ dolet, refrigerantia admoueto, & confert. lauationibus, vel glandula, balanóve, quæ in ventriculo ſunt ſubducito, profuturáque quæ tibi videantur ſorbeto, potatóque. quum dolet, medicamentum infrà dato: poſt hoc ſerum decoctum, & lac aſinæ propinato. Et de paſſionibus Secundo ad calcem apponuntur hæc, Deinde poſtridie cnidium coccum propinato, ſi non iuuet hoc, ſubluito. Et infrà, Deinde ſi oporteat tres vſque dies purgato. ſi verò, plures vſq; dies purgetur. Et inde, Si morbus hic bile gignatur, veratrum, ſcammoniæ've ſuccum, vti per infer-

Hip. 1. de paſ.

Hip. 2. de paſ.

na purget, propinato. Et amplius infrà, Si verò pituita langueat, cnidio cocco, vel hyppopheo, quum foueris potionato, post verò purgationem sorbimenta, poculáque, eandem lactísque portionem porrigito. Ex Galeno etiam veteri habetur lectione Secundo ad Glauconem, distinctione quarta, quæ tota nouis in impreßionibus, postremáve hac versione, deficit. Capite de cura podagræ ex cholera, Quòd si humor is qui in pedum articulis fuerit, cholericum esse cognoueris, manifestum sit non esse opus sanguinis detractionem facere, sed colagogo vteris, vel medicamento catarctico. etenim plus humectandum est corpus eius, qui accepturus est potionẽ vt temperetur acredo humoris cholerici. sed non oportet de semel dare catarcticũ patienti, sed paulatim & frequẽter. si enim à superfluitate humorum rheumatizauerint articuli, melius purgabis, si furando humores, qui supercrescunt, detrahantur. Et capite sequenti, Si enim quod lędit manifestè esse cognoueris, necesse est eum ante omnia purgare, & sic posteà localia adhibenda adiutoria. Et deinceps, Vtêris autem secundum virtutem patientis: melius est enim si non statim sub vna potione purgentur, sed sæpius, & paulatim, oport

Gale. 2. ad glau. dist. 4. cap. 3.

Cap. 4.

oportet educere. nam ſub vno, & de ſemel ſi volueris purgare, dum totum corpus exagitatur, quæ in ſummitate inueniuntur, educuntur: & quæ ſpiſſa ſunt, & viſcoſa latent, derelinquuntur. & ideò paulatim ſubinde accepto medicamine faciliùs educuntur. Et hæc ipſius Galeni exiſtimãtur propria, & aliis ipſiuſmet legitimis acceptatis ſententiis conſona. Decimo nanque de compoſitione medicamẽtorum ſecũdũ locos, hic contextus inſertus eſt, De iſchia, de coxendicum morbo, podagra, & morbo articulari, Porro principium curationis ſit tibi euacuatio humoris affligere reperti, ſi quidem humoribus ex æquo redundarit corpus, venæ ſectione primùm omniũ aſſumpta, deinde purgatione, quibus accedat pharmacorum dicendorum conueniens & tempore, & ordine vſus. Et infrà, Quemadmodum autem ſæpe ſola ſanguinis euacuatio ſufficiens auxilium exiſtit, ſic contrà in omni coxendicum dolore, & præſertim eo qui ex humorum copia exortus eſt, ſi quis ante purgationem totius corporis acribus pharmacis circa partem affectam vtatur, ægrè curabilem reddet affectionem, copia nimirum indiſſolubiliter ibidem condenſata. præter alia enim & craſſa, & viſcoſa fit,

Gal. 10. de cõp. med. loc. 5. cla. 214. D.

ob calorem, & ſiccitatem, acrium pharmacorum, non diſsimile quippiam aſſationi perpetiens. Tanquam igitur maximam vim ad affectionis curationem habeat totius corporis euacuatio, ab ipſa incipiendum eſt, non ſolùm à cruribus, ſed & à cubito, primum ſanguinis detractione facta. auxiliantur etiam vomitus ipſis iſchiadicis magis vtique, quàm euacuationes infernæ per ventrem, vt qui reuellant deorſum repentem humorem. Et plurimùm eius lectionis ſubſequentia ibidem perſcrutanda derelinqui placuit. Quòd autem propria Galeni ſint illa nuper adducta ex libro ad Glauconem, Quinimò quòd nouis voluminibus impreſsis de arte curatiua ad Glauconem totus ille deſit tractatus, diſtinctióve, ex iſta eiuſmet de remediis paratu facilibus ſcriptione, cuiuis diiudicare dabitur, veluti & iudicauimus nos. Habet igitur capite Ad coxendicum, pedum, & articulorum, dolorem, Porro vtriuſque curatio eſt, vt calido frigida, frigido verò calida diſcutientia applicentur; & ſi quidem magna fuerit efficientis morbum ſucci abundantia, hic vacuante medicamento primò eſt educẽdus. Quòd ſi corporis adſit plethôra, principiò ſecanda eſt vena: dei nde repellendus, cohiben

Galen. de reme. para. fac. 7. cla. 155. G

hibendúſque, influxus oxycrato, aut hoc etiam frigidioribus medicamentis aliis. At omnibus de his ſcriptum nobis abundè eſt cùm aliis in libris plurimis, tum maximè, mi Glauco, duobus illis de arte curatiua ad te miſsis. Non abſque cauſa igitur in eo potiſsimùm libro, veluti ſufficientior vetus translatio acceptata eſt à nobis ſuprà, ac pleriſque in diuerſitatibus probabilior. Et hanc igitur vel, Exiſtimare ſicut multa alia etiam ex antiquis exemplaribus deprauata reperiuntur, ita hîc quoque per errorem librarij contigiſſe, vt verba ea prætermiſſa ſint, atque ita errorem ad nos vſque deueniſſe: Vel alia quæuis ſit cauſa excidiſſe. Iſtud vnum attamen firmandum eſt, videlicet illam veterem ſcriptionem de podagra Galeni fore propriam, vel & hanc de remediis paratu facilibus, ſpuriam eſſe, aut in Græcis codicibus deficientem: ſed locum hunc monſtraſſe ſufficiat. Et ſententiam Hippocratis ac Galeni illam eorum ſummus interpres, 22.3.tracta.2.cap.7. planiùs, tutiúſque deſcripſit, explanauítque, ac fuſa ſerie aſſecutus eſt. quam (ne longa nimis hîc noſtra deueniat ſcriptio) conticemus, loco in eodem omnino perlegenda, vt vero conſonent cuncta.

Gale.2. de his, quæ in med. fiũt. 7.cl. 202.A.

Auicẽ.22. 3.tract.2. cap.7.

De vteri affectibus, in libris, cùm de fœminea natura, tum de fœminarum morbis (quamuis ab Hippocrate indifferēter sint scripta) Quod in omnibus ferè pafsionibus ante totam declinationem vacuetur, hi qui nouerint modum loquendi, viri ad loca illa accedentes perſpicient. nam nos nuper dicta breuitatis cauſa plurima pertranſimus, deprecantes eos, qui hanc cupiunt veritatem, ne inibi inſpicere pigeat, grauéve ſit, cùm pauca adduxerimus hæc.
Hippo. de fœ. nat. De menſium igitur ſuppreſsioue, libro de fœminea natura adiectum eſt, Si verò menſes nihil omnino decurrant, ſi quidem præ dolore, laboréve ſit, primum quidem ventriculum inferiorē purgato, deinde quod ſanguen de vuluis educat apponito. Ac primo de fœminarum morbis, Si verò mēſes præ morbo nō defluant, vel craſsi, mucoſi, glutinoſive ſint, Primū ergo ventriculum
Hip. 1. de fœ. mor. ſuprà, & infrà purgato: deinde locellos appoſitione, qua ſanguis purgetur. De eorundem etiam profluuio burro, Secūdo de fœ-
Hip. 2. de fœ. mor. minarū morbis ſcriptio eſt, Quam ſi per exordia ſumpſeris, ſic curato, ſi ſine febre ſit, ſatíſq; virium habeat, veratro purgato: deinde tres, quatuórve dies intermittito, medicinam per inferna propinato. Ac de profluuio albo, Huiç ſi viriū ſatis habeat, iuuen

iuueniſque ſit, cæteráque compareant, per exordia medicinam ſuprà, & infrà dato, caput purgato. ſi pituitoſa ſit, medelis quibus pituita purgetur. ſi bilioſa, quibus bilis.

De vlcerum quoq; eius medela, Primo de fœminarum morbis habetur, Quæcũq; igitur fluenta tenuia ſunt, medicamento & ſuprà, & infrà curentur, Sed Primo ſuprà: ſi verò poſt potionem fluenta minuantur, lenioráq; ſint, paulułum temporis intermittito, ſimilitérque repotionato. Hipp. 1. de fœ. mor.

De vuluæ etiam verſione, Secundo de fœminarum morbis ſcribitur, Primum ſi validam adhuc curandam ſumpſeris, corpus totum reſpectando potionato, purgatóve, purgatione qua egeat. Et infrà, Quum dolet per exordia ſic curato, calefacientia apponito, & in aqua calida ſedeto: ſpongiáque ex aqua calida expreſſa foueto, medicamentóque quod ad vuluas faciat, propinato. ſi his non ſoluatur ſuprà, & infrà, quo magis opus eſſe videatur, purgato. Auicenna quoque 21. 3. capitulis morborum ſingulorum propriis, Hippocrati protulit conſimilia in ſcopo. Videnda igitur in eiſdem tranſmittimus, longitudinẽ quoad fieri poteſt abſcindere procurantes: modíſq; omnibus veritatis amatores (ad quos hæc noſtra dedimus) hortamur Hip. 2. de fœ. mor. Aui. 21. 3.

mur, precamúrque, vt singula in singuli perscrutari dignentur. Quemadmodum & de spinali tabe, qua & semen inuolun tariè defluit, in Hippocrate secundo de morbis sic asserente, Quum sic habet, s per exordia tractes totum foueto, medica mentúmque suprà dato, deinde caput pu gato, posteà infrà potionato. Atque Secun do de passionibus, Quum sic habet supe riorem ventriculum veratro nigro purga to, sed inferiorem scammoniæ succo, pos verò purgationem, quæ cæteris dato.

Hip. 2. de mor.

Hip. 2. de pas.

De doloribus etiam, libro de morbo rum decretorio ab Hippocrate scribitur Quibus subitò dolores fiunt, præcordi supernè turgent, doloréque vehemente costam vltimam vexant, quæ sanguen ve na missum discutit, vel inferna purgatio A' Galenóque tertio in tertium de mor bis vulgaribus commẽtario. Nam si quid tale sit, aut si omnino plenitudo causa do loris antegressa videatur, quàm primùm hominem vacuato, tunc enim securissi me fluxiones reprimentia partibus dolen tibus applicueris. Nam si ante vacuation id tentes, humorum abundantiam ad prin cipales partes retorquebis. Imò ne fo uere quidem, & lenire, ante corporis va cuationem partes dolentes licet. Ab Aui

Hip. de mor. dec.

Gale. 3. in 3. de mor. vulg. 3. cl. 142. C.

cen

cennáque 4.1.cap.30.relictum est, Et venerem soluentia, & euacuantia, quocunque modo fuerint, sunt istius modi. Et laxa quidem facientia sunt danda post euacuantia (si necessarium fuerit euacuare) donec materiam restringas, quæ ad membrum descendit, & etiam totum illud, quod apostema maturat, & quod ea aperit. Auic.4.1. cap.30.

De luxatis quoque & fractis, istæ habentur series, nam de luxatis libro scribitur, Medela autem est, si sine febre sint veratro purgare, helleborissaréve, si minus non, Sed mulsum acetum, suaue propinato: motósque articulos componito, superligato, multóque magis hæc in fractis facito. De pedis etiam luxatione interiùs, Quæ pericula sint prædicito, reponeréque tentato, sed primo, secundóve die: si minus decimo, quarto autem nullo modo, quæ reponant libratiunculæ, mochliscíve sunt medela verò sicuti capitis ossa, calor. Sed veratro statim, & quum reposueris, melius est vti. Ac libro de fractis habetur, Diéque eodem, vel postero, veratrum potato, helleborissatóve: tertianum autem soluito, statímque religato. Signa verò rebellatura ne sint, hæc sunt, quum venarum diffusiones

Hip.1.de luxatis.

Hip.1. de fractis.

nes nigricamentáque, proximáque subru-
bescent subdurescéntque, periculum est
ne recrudescant, & rebellent. Quare si sine
febre sit supernè sicuti dictum est purgat
potionatóve. Et infrà, Quum verò repo
fueris, quo die repositum est, molle, & len
veratrum propinato, si quidem eo die re
positum sit: si minus, ne tentato. vulnus au
tem sicuti fracta capitis ossa curato. Et de
mum, Quibus autem ossa reposita non
sunt, purgationem eandem, vulnerúmque
Gale.2. in curationem, & nutricatum, & facito. Et
1. de frac. quamuis Galenus Secundo in librum de
7. cla. 231. fracturis Commentario conscripserit,
B. Iussit nunc eodem die, aut postero, dari
veratrum, priùs quàm videlicet aut parte
affectæ inflammari, aut homo febricitar
incœpisset: quin etiã si febris anteuertis
set modo leuiter afficeret, eodem modo
exhibendum esse censuit. Nos verò ne fe
bre quidem vacuaro dare veratrum aude
mus, si febris autem vehementer infeste
ipse etiam non dat. Attamen Sexto de
medendi methodo reliquit, Quoniam
autem non solùm, quo tempore subue
Gal. 6. me niendum callo gignendo sit, sed etiam
tho. 7. cla. quo pacto, est inuentum: reliquum fuerit
41. 5. de vniuersa victus ratione præcipere, a
quod in principio sit quidem tenuissim

ciban

cibandum, id vbi de propria phlegmonarum curatione agemus dicetur. Porrò mõstrabitur, & quod venam incidere interdũ oporteat, & per ventrem superuacua expellere: at quo tempore callus gignitur, nutriendum corpus est cibis boni succi. Dixit & Auicenna 5.4.tra.2.cap.2. Et multotiens quidem fit necessarium propter timorẽ apostematis, & nocumẽtũ vulneris, vt facias aliud, quàm sit necessarium de curatione membri, quare phlebotomas, & soluis vẽtrem, & subtilias cibum, & quandoque accidit ex strictura puritus, & est necessarium vt soluatur, aut embrocetur mẽbrum cum aqua calida, donec resoluantur humiditates mordicatiuæ. & Hippocrates quidem præcepit ei, qui restauratur, vt sugat aliquid de helleboro in illa hora, & fuit eius intentio, vt trahantur materiæ ad interiora. & Galenus prohibet hoc, imò præcepit, vt bibatur agaricum. Quod si fuerit necessarium, tunc detur aliquid de syrupo acetoso in quo sit virtus hellebori. & dicitur, quòd illud fuit in tempore Hippocratis, & excellentia, quæ est inter duo tempora est mirabilis.

Aui.5. tracta.2.c.2.

De cutis affectibus plerisque, Quarto de pasionibus hæc habetur sententia, Cutis asperitas, lepráve, pruritus

Hip.4. de pas.

cneor

cneoróſve, ſcàbies pſoráve, papulæ, lichenéſve, vitiligo alphóſve, tineæ areæve ſeu alopeces, pituita gignuntur: potiúſque corporis turpe quid ſunt, quàm morbi: cerion prætereà fauúmve, ſtrumæ chreadéſve, perniones phygethláve, furunculi varíve ſeu diothenes, carbunculus antráxve, pituita & hæc gignuntur: Quare his medicamentis purgando vtitor. Qui bilioſi ſunt, his quæ bilem purgent dato, pituitoſis quæ pituitam, bile atra laborantibus, melancholicíſve, quæ bilem atram purgent dato. Subtercute aqua laborantibus hydropéve, quibus aqua medicamenta pota. Scribitúrque à Galeno ſecundo in Sextum de morbis vul-
Gale.2.in 6.mo.vul. 3.cl.158.E garibus, Sed forſan me dicere putabis nunquam purgatione per ventrem in talibus vtendum eſſe: ego verò non id dico: nam in libris de arte curandi, in quibus corporibus permulta humorum copia eſt, iis vtiles eſſe purgationes didiciſti. priuſquam enim ita redundantem materiam aut venæ ſciſsione, aut purgatione quis eduxerit, ſi calidis fomentis vtens ipſam diſcutere conetur, plus attrahet, quàm per cutim euacuabit. Sed cuti inhærentium ſuccorum curatio prorſum per diſcuſſoria, & calida, medicamenta præſtatur. Et Se-
cund

ſecundo curatiuæ artis capite de cancris, habetur de elephantiaſi: Huic igitur morbo, quas anteà diximus, conferunt purgationes. Quòd ſi ætas, & virtus permiſerint, ſanguis priùs mittendus eſt. Scripſit & Auicenna 3. 4. tra. 3. cap. 3. Oportet vt incipiatur in ea cum euacuationibus, & mundificatione, autequàm ingroſſetur ægritudo. & quum tu verificaueris, quòd illic eſt ſanguis plurimus corruptus, tunc oportet vt incipias, & phlebotomes phlebotomia vltima. Et deinceps, Si ergo phlebotometur, oportet vt quieſcas hebdomada vna, deinde euacuetur cum eis, quę ſunt ſicut hieralogodion, & hiera de pulpa coloquintidæ. Et infrà, Et non ſufficit in curatione iſtorum, qui non ſunt confirmati euacuatio vna, imò fortaſſe eſt neceſſaria euacuatio in menſe bis, aut in omni menſe ſemel, ſecundum quod teſtimonium facit eſſe neceſſarium, & illud cum medicinis temperatis. Et de cura morpheę nigræ 7. 4. tra. 2. cap. 10. Oportet vt incipiat cum phlebotomia, ſi fuerit illic multitudo ſanguinis, & cum euacuatione humoris aduſti, & melancholici cum eis, quæ ſunt ſicut decoctio epithymi, & agarici, & myrobalanorum. Et quæ ſequuntur. Et capitulo ſubſequenti de cura albaras: Et

Galen. 2. ar. cur. 7. cl. 107. F.

Auic. 3. 4. tra. 3. c. 3.

Auic. 7. 4. tra. 2. c. 10

Cap. 11.

administrentur vomitus in primis, deinde medicinæ euacuantes phlegma, si non fuerit corpus mundum, deinde diuretica, & solutionem ventris facientia, sicut hieras magnas, & propriè hiera de pulpa coloquintidæ, & pilulæ quæ similantur ei. Et infrà, Et scias quòd euacuatio habentis hanc ægritudinem, oportet vt fiat cum debili euacuatore, subtili, cum gradatione, & aqua quidem radicum est digestiua faciens viam medicinæ, & in fine eius bibat pilulas fœtidas. Et exinde quamplura,
Tra. 3. c. 2 Et tra. 3. cap. 2. de saphati, Nos verò dicemus nunc, quòd confert alsahaphati siccæ euacuatio humoris cholerici, & melancholici, & phlegmatis salsi, cũ eis, quæ sunt sicut decoctio myrobalanorum cum epithymo: & ponãtur in ea aloës, & scammonea. Et deinceps pleraque. Et capite se-
Capitulo 7. ptimo de scabiei cura, Cura quidẽ scabiei prima, & melior, & cum qua multotiens est sufficientia, est euacuatio cum eo, quod educit humorem acutum adustũ, & phlegma salsum: deinde rectificatio cibi. Et deinceps capitulo nono, de desudationis cura, & tertiodecimo de cura verrucarum, & vigesimoseptimo de pediculis, etiã eandem in scopo proposito ipsius principis reperire est mentem, sed ista sint satis.

Hab

Habet & Galenus de plerisque libro de purgantium medicamentorum facultate, seriem hanc:Is simul atque nouit me sola purgatione quamplures à defluuio capillorum liberasse, ilico prosequi odio me cœpit.Item alius quum incipiens carcinoma,quósq; elephantes appellant, & depascentia, multáque alia vlcera curatu difficilia sanassem, & alius quia solis purgationibus oculorum obtenebrationem patientes conualescere fecerã, & adhuc alius propterea quòd insaniẽtes comitiales,melancholicos, & insuper non paucos diutino capitis dolore vexatos, purgando tantùm liberassem:& vt coxendicis, & longis doloribus,aliis partibus infestantes,atque hunc nuper quem tanquam colo vexaretur tribus iam mensibus medici tractauerant in peius quotidie abeuntem.hũc ego omnia quæ illi imposuerant, abiicere iussi,ac solis purgationibus sanitati restitui. muliebrem fluxũ præterea nobilis cuiusdam Romanæ matronæ ita hac arte suppressi, vt & multas alias ignobiliores fœminas nõ solùm ab hoc morbo, sed etiam ab aliis vteri ægritudinibus exemi. Quid me commemorare opus est,vt nullũm remediũ sacro igni,erysipelata Græci dicũt,

Galen. de purga. med. fac. 5.cl. 90.C

efficacius adhibeatur, quàm bilem expurgans: nullum magis aduersans, quàm pituitam educens. Diem hunc totum contererem, si quàm admiranda opera purgantibus medicamentis absoluantur, referre vellem.

De quamplurimis etiam aliis, ac consimilibus, tum in præseruatione, tum incipientibus morbis, aphorismi illius expositione: Quibuscunque venæ sectio, vel purgatio cum medicamento conuenit, hos verè purgare, vel venam incidere oportet. A' Galeno ista de purgatione antequàm tota, quæ morbum facit materia concocta sit, habetur sententia in sexta oraculorum sectione.

Hippo. 6. Aphor. Ext. 53. G.

Et demum vt ex quamplurimis (ne infinitis dicatur) sermonem absoluamus, Topica remedia adhibenda non sunt, nisi prius vniuersi corporis præcesserit vacuatio, vel purgatione, vel venæ sectione, veluti earum altera expedire diiudicabitur magis. Id enim commune præceptum est, quod in omnibus morbis obseruare oportet. Sanè totum corpus priusquàm id vacuaris, rarefacere non expedit: vbi vacuatum est, vtique licebit id medicamento aliquo, cui calor tepidus insit, rare

Gale. 3. de loc. affe. cla. 15 D. Galen. 11. metho. 7. cla. 70. D.

rarefacias. Quum in vno eo ferè omnibus medicis conueniat, quamuis in pluribus dissentiant: quòd totum corpus vacuũ, purúmque, ab excrementis antè sit reddendum, quàm vlla pars valentibus remediis sit subiicienda. Sunt autem duo hæc maxima errata, si nulla de toto corpore prouidentia habeatur. & si calefiat, atque humectetur, etiam membrum. hæc verò duo medicorum plerique delinquunt, nonnulli quidem à methodicorum hæresi persuasi, & inflammationes omnes esse passiones adstrictas existimantes, quas elaxare oporteat. Sunt verò quidam, qui sine ratione, atque vlla consideratione, istos sequuntur, vnã excusationem ad malè agendum habentes, cum multis delinquere. Sed neque ex dogmaticis medicis quispiam, neque ex empiricis ita sensit. Sed quod & ratio, & experientia suadet, totum quidem corpus euacuare quibusdam euacuationibus consulunt, ipsam verò inflammatam partem perfundere, & superlinire eis quæ id quod influit, repellendi vim habent: id verò, quod in membro patiente continetur, euacuandi: vim autẽ, ac robur adiungẽdi iis, quæ iam affectæ sunt partibus. Siue igitur repellentibus vtamur, veluti nuper dictum est, aliísque su-

Galen. 4. metho. 7. cla. 26. G.

Galen. 2. art. cur. 7. cl. 101. G.

perioribus tactum extitit scriptionibus.
Siue discutientibus, resoluentibúsve, aut
suppurantibus, quemadmodum priores,
ista assonant series, totius corporis eua-
cuationem vbi multis, malisque succis re-
pletum fuerit, præoccupare conueniet.
Gale. 6. de cōp. med. loc. 5. cla. 172. H. Verùm nunc adeò nihil opus habemus
eiusmodi determinationibus: sic nos enim
vbi ad memoriam reuocauerimus quo-
modo totum corpus præparare ad cura-
tionem affectuum circa quamcunque par-
tem consistentium oporteat, ad institu-
tum progrediemur. Etenim venæ sectio-
ne vtimur, & purgatione, & clysteribus,
& inedia. Vbi totum corpus apparuerit,
aut multitudine humorum refertum, aut
eorundem malitia vitiatum. Si verò neu-
trum horũ adsit, statim ad curationem per
localia remedia peruenimus. Atque hanc
firmam Galeni existere ex plerisque eius-
met locis roboratam statuatur sententiã.
Quę si longior nimis, propterea quòd scri-
pta illa inseruerimus, videatur, id nostræ
non adscribendum est culpæ, sed illorum,
qui contrariæ addicti sunt hæresi: nam vt
aptius ab eis dimouerentur absurdis, ad
hæc compulerunt. Necesse enim est ad
Hip. 4. de mor. tam vehementer asseuerata multa vera
argum

argumenta, adducere eum, qui rationibus suis auditorem de priſtina ſententia educere vult, ſuáque confirmare. Quicunque etenim laudabili doctrina imbuti ſunt, atque in bonis exercitamentis connutriti, plurimis illis aut aliis huiuſmodi rebus, nequaquàm opus habent. Igitur illis omnia deſcripta ſuprà, tanquam non ſcripta exiſtimentur. Verùm aliis iſta ſatis, ſupérque, fuerint(ſi recto perpendantur iudicio) vt quod de minuenti pharmaco iam prolatum extitit, confirment. Nam licet à cauillis quępiam illorum non ſint immunia(quoniam maligni quæcunque etiam iuſtiora conuitiari poſſunt) plurima tamē veluti lucidiora nimis ſubterfugi non poterunt. Neque dicendum eſt ſuprà citatas authorum ſeries, admiſſas eſſe de lenientibus medicaminibus tantùm, quoniam illas exactius intuenti apparebit non de illis, ſed de vigoroſioribus, quàm lenientia ſint, cōſcriptas fuiſſe, quemadmodum per ſingula ferè diſcurrenti perſpicuum videretur. Conſimiliter nec de medicamentis eradicatiuis nominatis aſſerendum eſt appoſitas ſeries accipiendas eſſe, propter duo inter cætera. Primum, quoniam plurimis etiam con-

trariam ſentientibus mentem iudicibus, in particularium morborum initiis eradicantia medicamina,& in eradicanti doſi data, atque adamuſsim euacuantia materiam, non in omnibus morbis, ſed in turgenti materia tantùm concedantur. Secundum, quoniam ſi quis optimè conſideret, pleræq; conſcriptæ aliter aſſonant ſcriptiones, cùm non fortiter, ſed mediocriter, & moderatè præcipiant. De minoratiuo igitur exempli cauſa ſatis hæc ſint.

## DE ERADICATIVO.

DE fortiori verò vacuandi modò, quod cum eradicanti fit medicamento, firmiter ſanciendũ eſt, propoſitum his duobus conſiſtere. Primum, Quod antequàm tota materia concocta ſit, & in morborum igitur initiis, libero medici conſilio, ſecundum canones vacuare non expediat: Secundum, Quòd etiam ante omnem coctionem coacto medici propoſito rectè morbifica vacuari poſsit materia. Et vt quidnam in operibus artis vtiliter de his ſit frequentandum, ſaltem diluceſcat exemplis, dicendum eſt,

quo

quo pacto ſeſe habeat res. Igitur ſi modus ægritudinis talis exiſtat, vt contra morbi materiam natura ſit adeò fortis, quòd ſe ſola, vel adiutore medico dimicare vinceréque putetur, antequàm tota concocta ſit materia: radicitus educente pharmaco vacuandum non erit. quamuis ob hoc quòd ægritudo ex plenitudine eſt, eiuſdem plenitudinis vacuationem requireret. Si verò talis ſit morbi modus, vt eius materia fuerit adeò praua, quòd priuſquàm ad propriam temperiem reduci valeat, vincíve, dubitetur naturam ipſam pugilem ſuperatum iri: & proinde defecturum ægrotantem, ſecundum rectos profectò canones, eradicanti etiam pharmaco peſsimam illam materiam euacuare conueniet. Et hanc ſententiam optimum Hippocratem, admirabilémque, conſuluiſſe prædicamus, in digladiato (vt ita aſſeramus) oraculo illo: Concocta medicari, atque mouere, non cruda, neque in principiis, modò non turgeant, plurima verò non turgent. Rectè igitur Hippocrates conſulit imitari naturam: eſt autem imitatio, in vnoquoque morbo tales humores euacuare tentando quales nouimus prodeſſe in ſpõtinis euacuationibus. Sem-

Hippoc. 1. aph. 22. Ext. 10. D.

Galen. 4. aph. 2. Ext. 28. C.

Gale. 4. de presag. ex pul. 4. cla. 124. C.

per porrò omnis excretio naturæ lege perfecta, sequitur coctionem: etenim in ventre conspicitur naturam excrementum à concoctione excernere, cæteras excretiones quæ cibi concoctionẽ præcedunt, nunc quòd vellicetur ab illis quæ continet, nunc quia grauatur, ante tempus coctionis cogitur moliri. haud aliter totius corporis facultas postquàm satis familiarem succum concoxerit singularum partium, tum demum excremẽtum excernit, nisi quid eam, vt diximus, irritet importuné. Secundum prioris dicti sensum quęcunque intelligendæ sunt scriptiones, quæ incoctam materiam educere detestantur: Quippe quum libera medici intentione concoctio sit expectanda, veluti & ipsa operatur natura. Huius autem in causa est, tum quòd incocta materia ineptam euacuationi habeat consistentiam, tum quòd etiam purgationibus imparatum sit corpus, & tum quòd vnà secum tam mali, quàm boni humores commisceantur. Quibus fit, quòd & simul boni educantur, ac mali, agitatióque eius materiæ violenta fiat, distrahuntúrque coctiones, quas in morbis intendimus, atque quæ citius insequi deberent, impediuntur crises; cæteráque eiuscemodi inde proueniunt

ueniunt mala. Et in ſecundi dicti ſententia conſimiliter quæcunque intelligendæ ſunt ſeries, quæ incoctam vacuari præcipiunt materiam. Nam eo modo & ipſa quum cogitur natura (ſicuti dictum eſt) rectè frequenter vt incoctam materiam expellat, inſurgit. Cauſa verò huius, intempeſtiui aſſultus eſt morbi violentia irritatrix quædam exiſtens, & acuta. Videtur ſiquidem natura nihil huiuſmodi poſſe tolerare, ſed ſtatim properare ad expellendum id, quod infeſtat, ſicut in his quæ ventrem, aut ſtomachum mordent, torquent, frigefaciunt, & grauant: ſiue quouis alio modo ſtimulent, licet inſpicere. quę enim ſupernatant, per vomitus expellere tentat, quæ verò inferiora occupant loca, per ſedem excernit. Vtriuſque etiam propoſiti expreſſam ſententiam à Principe promulgatam aſſerimus eſſe de intentione ad curationes vniuerſales febrium putredinis ſic aſſerente, Et non euacues materiam indigeſtam in calido, aut frigido, niſi propter neceſsitatem: fortaſſe enim multiplicatur euacuatio alterius humoris non præparati cum digeſtione, vt euacuetur, & fortaſſe nocet euacuatio maturationi, & fortaſſe permiſcetur cum ea malignum cum bono,

Gale.3.de criſ.4.cl. 144.F.

Auic.1.4. tract.2. cap.7.

propt

propterea, quòd mouetur malignum abſ-
Aui.ſup. que digeſtione ſua. Et infrà, Quum au-
tem materia eſt plurima, mobilis, per-
mutabilis de membro ad membrum, &
exiſtimas quòd non eſt ſpatium in dige-
ſtione eius, aut fortaſsis accidit ex eo apo-
ſtema ſirſen, aut aliud, ſi dimittatur, fa-
ciet cadere in timorem ante tempus, in
quo expectatur digeſtio eius, & illud eſt
propter longitudinem temporis, in quo
expectatur digeſtio æqualis, proculdubio
tunc neceſſaria eſt euacuatio eius. timor
enim in hac eſt minor, quàm timor in illa,
& cum hoc natura mouetur ad expellen-
dum eam propter multitudinem ſui no-
cumenti. Quum ergo adiuuatur natura,
conuenit ei adiutorium vltimum, quare
non eſt excuſatio eius. Et inferiùs adhuc,
Et ſimiliter ſi times victoriam humoris,
magis neceſſaria cautela eſt euacuatio, &
ſi non eſt digeſtus, nõ moueas niſi in prin-
cipio, apud ſtatum verò non moueas ali-
quid, donec vincat natura, & digerat, & ſi
ipſa non mouet, moue tu hora motus eius,
& ſi ipſa mouet, aut mouit, tunc dimitte
eam, & operationem eius. & hoc eſt illud,
quod nominauit Hippocrates furioſita-
tem, vbi dixit, Oportet vt adminiſtretur
medicina ſolutiua, poſtquã digeritur ægri-
tudo

tudo. In principio autem ægritudinis non oportet vt administres illud, nisi ægritudo sit furiosa, & forsan non est secundum plurimum furiosa. Et talis est ista euacuatio necessaria, quæ non est in hora sua, sicut cibatio, quæ non est in hora sua: & proportio istius euacuationis ad prohibendum acuitatem materiæ, est sicut proportio illius cibationis ad prohibendum virtutem à casu suo. Sed vt verax hæc lucidiùs appareat sententia, accedit vt etiam describamus quæ'nam ægritudines sint, & quæ etiam consimiliter materiæ, quæ turgentium vocabulo nuncupentur: atque in quibus vigoroso isto radicitus vacuante medicamento crudam vacuari concedatur materiam. Quod & nonnulli, qui practicandi priscorum calluerũt modum, nuper citatum Auicennæ contextum insequentes tractauerunt, ad quinque duntaxat casus reducentes videlicet.

Primus igitur, ac præsertim is esse conceditur, quum materiæ in violento admodum motu exagitatæ talem causauerint morbum, vt exinde periculum ingentissimum immineat. Idque in primæ sectionis famosissimo in hac re commentario dereliquisse Galenum iis scriptis, Verbum turgere translatum est ab animalibus ad Galen. 1. aph. 22. Ext. 10. D.

hum

humores, nam ſicuti illa ſtare loco nõ poſſunt quodammodo titillantia, atque impulſa, concitatáque, à paſsione: ſic & humores plerunque in motu vehementiore, atque transfluxu ab vna parte ad aliam in morbi principio hominem moleſtant, mouentes, faſtidientes, titillantes, & quieſcere nón permittentes, quum & ipſi pariter moueantur, & transfluant, & tanto motu de loco ad locum ægrum moleſtent. Tales itaq; humores euacuare conuenit. Et quartæ ſectionis primi oraculi expoſitione, quod vniuerſaliter in ſuprà deſcriptis præmiſerat, prægnantibus accommodauit. Et de his contenti, cùm in eo communiter cõſentiant medici, ad alia pertranſimus, & præſertim quoniam alibi pluries, veluti per anteà tactum eſt, iſta de eius mobilitate habeatur ſententia.

Hippo. & Galen. 4. aph. 1. Ext. 28. D.

2 Poſt hæc, quando multa admodum morbum excitauerit materia, atque quum praua materia exacuerit affectum, nam ſicuti ſanè eadem virtus, quæ ſic de fœtu eſt ſollicita, vt nouem menſium ſpatio eius ſuſtineat pondus: atq; vt abſolutus tuto mittatur prouideat, ſi circa tertium, quartúmve, aut alium menſem fœtus eſt corruptus, ſtatim eum eiicit, tũc quoque ſimpliciter collum adaperiens ſicuti & pariendi

Gale. 2. de ſimp. cau. 3. cl. 21. F.

temp

tempus instabat aperuit. Ita nimirum & ventriculus mordente subinde acrimonia irritatus ante legitimum tempus crudum adhuc cibum abiicit: rursus multitudine grauatus aliquando aut etiam ambabus coëuntibus malè affectus diarrhœis infestatur. Inde etiam Galenus sexta aphorismorum sectione, Ostensum à nobis est in commentariis de potentiis naturalibus, quòd singulis partibus sicut aliæ potentiæ, ita & illa inest, quæ materias infestas excernit. infestāt autem aliqua sua multitudine aggrauātes, alia verò extranea qualitate. Atque sæpius alibi illa sententia. Ea re veluti, Habitus exercitatorum qui ad summū bonitatis attingunt statim soluere expedit. Sic igitur quum plenitudo duplex sit, optimum enim fuerit hinc auspicari, & ea quæ ad vires refertur, facilè in putredinem perueniat, atque etiam interdum partes quasdam ingruentes inibi tumores præter naturam excitet, & altera quoque, quæ κατὰ τὸ ἔχυμα appellatur, sæpe in partes decumbat, ac tumores creet, imò & apoplexias moliatur, venarúmque ruptiones: eam celeriter euacuare tentandum, prius quàm magnum aliquod malum in homine admittat. Ergo plethôra tum sanguinis

Gale. 3. de nat. fa. 1. cla. 296. H

Galen. 6. aph. 55. Ext. 55. A.

Hippoc. 1. aph. 3. Ext. 3. E.

Galen. de art. cur. p ve. se. 6. cla. 301. E.

Galen. 13. met. 7. cl. 12. F.

guinis misſione curatur, tum frequenti balneo, tum exercitatione, tum frictione. Præterea, digerentibus medicamentis, & præter hæc omnia inedia, de quibus in his, quæ de ſanitate tuenda ſunt prodita, dictum abunde eſt. ſuccorum vitium purgatione, quæ cuique ſuperabundanti ſucco ſit accommodata, corrigitur. Ob hæc & ſecundo in ſextum de morbis vulgaribus commentario ſcribitur à Galeno: Nam in libris de arte curandi, in quibus permulta humorum copia eſt, iis vtiles eſſe purgationes didiciſti. Et de curandi ratione per ſanguinis miſsionem de doloribus, hæc habetur ſeries: Ad hæc autem fixi in parte quapiam dolores, ídque aut ob humorum copiam confertim ingruẽtes, aut propter ſpiritum flatuoſum, vacuationes indicant: ſicut qui ab acri humore partem exedente, corrodentéque perueniunt. Quamobrem protinus euacuandi ſunt, qui ab his qui temperandi naturam habent irritantur, atque aſperantur, vtpote qui multa, nec facilè mobili, corruptione ſunt repleti. Et iuxta hæc, primi aphoriſmorum penultimo hæc inſeruntur, In maximis verò doloribus nullum maius inueni remedium, quàm vſq; ad animi defectionẽ euacuare,

Gale. 2. in 6. de mor. vul. 3. cla. 158. E.

Galen. de art. cur. p ſan. miſ. 6. cla. 301. B.

Gale. 2. de ſimp. medic. fac. 5. cla. 11. H.

Galen. 1. aph. 23. Ext. 10. H.

cuare, adhibita diſtinctione, an mittere ſanguinem, an purgare oporteat vſque ad animi defectionem, quẽadmodum in libro de venæ ſectione monſtrauimus. Verùm breuius Auicennæ propoſito accedentis propius aduenìant hæc. 4. 1. capi. 1. Aegritudo quoque ſi multæ ebullientis materiæ fuerit, in principio eam euacuabimus, non expectãtes maturationẽ: & ſi mediocris fuerit maturabimus eam, & poſteà euacuabimus. Quũ etiam peſsima qualitate morbifica materia affecta, peſsimam excitauerit ægritudinem, nam quarto methodi, & hæc ipſe adiecit Galenus: Ego nanque cacoëthes omnino id dico, & ob id qualis ſit totius corporis affectus, ſtatim conſiderabo: inueniam nanq; tum ex vlceris ipſius ſymptomatibus, tum ex noxis, quas totũ corpus præ ſe feret, cuius maximè generis ſit is qui redundat ſuccus, atq; hunc medicamento protinus educam: nec protrahã, dũ totus hominis cubitus affectum quendam contumacem, rebellémque curationi contrahat. Inſuper quum malignæ quæpiam aliæ fiant ægritudines venenoſæ've: Exoriuntur enim dolores quidam maligni à maleficis, ſiue medicamentis, quæ deleteria vocant, ſeu feris venenum ictu fundentibns, ſiue ſuccis aliquibus ex improbo vi-

Auic. 4. 1. cap. 1.

Gal. 4. me tho. 7. cla. 25. G.

Gale. 6. in 6. de mor. vul. 3. cla. 188. H.

Gale.5.de sim. med. fac.5. cla. 38.B.

ctu, aut pestilenti cœlo, in corpore genitis. De deleteriis ipsis medicamentis, & de his etiam, qui per ferarum morsus, quinto de simplicium medicamentorum facultatibus, Alexiteriarum, & alexipharmacorum capite, conscribitur, quòd propriam & euacuationis, & curationis cæteræ methodum habeant, quo nihilominus euacuãda celerrimè sunt.

Gal.13.metho.7.cla. 83.A.

Atque & tertiidecimi methodi iis, Ergo methodus, quem in hoc opere tradere institui in doloribus vniuersis, qui vel ex animalium, medicamentorúmve, noxa excitantur, duplicem indicationem habet: nempe eius, quod dolorem creat, vacuationem, atque alterationem, vacuant id tum calefacientia omnia, tum quæ citra calefactionem vehementer trahunt, veluti & cucurbitulæ, & caua cornua quædam, quibus nonnulli cucurbitularum vice vtuntur. Et plura quæ inde sequuntur, ob quæ de canis morsu libro de theriaca ad Pisonem scribitur, Cauteriis igitur admodum candentibus locũm adurere solemus, & aliis vti medicamentis, quæ extrahendi vim obtinent, nec virus intra carnem manere sinunt. De eis etiam interius assumptis venenis, quòd vomitu potissimùm euacuandum sit, & venenũ à cor-

Galen. de the. ad Piso.5. cla. 99.C.

pore

pore educẽtibus, prius quàm à viis ductuũ abscesserint deleteria, & clysteribus, à Galeno relictum est secundo de antidotis ex Asclepiade etiam. Atque ab Auicenna 6.4. De canone curationis eius, qui in potu sumpsit venenum. Potissimarúmque hæc vna causa est, vt etiam à tota substantia deleteria non perimant: Quum vnà cum excrementis excernuntur, prius quàm iniuria corpus afficiant. Et de morbis ob succos non absimiles veneno prouenientibus, quíque ex praua victus ratione orti sunt, quemadmodum gigni etiam Pelope commonente, Galenus consensit iis: Neque mirandum esse dicebat tam validam vim esse humori, qui in affecta parte præter naturam genitus fuisset, vt perniciosarum ferarum venenis possit æquiparari. Nam qui de hac quæstione melius disputasse videntur, ij eosdem fieri affectus concedunt, & à letali veneni potione, quæ à corpore ortum habet. Dixit Galenus secundo in primum prorrhetici commentario, Quum autem alterent, hæc quidem solida, sed nondum alterarunt, simul vt vacuata sunt solidorum quoque alteratio cessat, interdúmque die vno, interdum verò citius etiam, ad naturalem redeũt habitum, nempe quum affectio fit, & non-

Gale.2.de antid. 5. cl.117. A.

Aui. 6. 4. sup.1.tra. 1.cap.4.

Gal.3. de simp. me. fac. 5. cla. 24.A.

gale.3. de loc.affe.4 cl.19.E.

gale.6.de loc.aff. 4. cl.40.B.

gal.2 in 1. prorr. 4. cl.173.E.

dum facta eſt, breuiter ſeparata efficiente ipſam cauſa ſedatur. Si verò completa fuerit, etiam ſi vacuata fuerint, quæ affectionem procreauerint humida, nihil in ſanationis ratione amplius exiſtit. De his etiam affectibus, qui inſimul ex peſtilenti cœli ſtatu fiunt, veluti in morborum vulgarium libris docentur exempla, & ex aëris inſpiratione præſertim. Duos præcipuos ſcopos adiecit, qui Hippocratem libro de hominis natura, diſsimulauit ſerie hac, Pro facultate morbi loca mutato, Corpúſque extenuato. Atque vtraque hæc vniuerſaliſsima, tam ſanis præcuſtodiendis, quàm ægris ſanandis, exiſtere affirmamus. At alterum non ſemper exequi poſſe, ſcilicet loci mutationem: nam non in omnium facultate eſt (præcipuè ægris) morbi illius loca commutare. Et proinde his, Pauculæ attrahendæ vſum animæ, atque eius inſpirandi aëris poſsibilem alterationem per contrarietatem accommoda fore conſcribimus, veluti ob eam rem in alia eiuſdem loci habetur verſione, At ſpiritus vt fluxus quàm parciſsimus corpus ſubeat vtq; ſit quàm familiariſsimus prouidebis. Alterum autem continuò cuſtodiendum dicimus, ſcilicet corporis extenuationem

Hippo. de ho. nati.

Gale. 2. in lib. de na. hu. 1. cl. 3. H.

Hipp. ſup. ex verſio ne herma ni Curſerij.

ſeu exiccationem. ídque & tenui victus ratione, & exiccantibus medicamentis propriis, & euacuationibus quibuſcunq; quomodolibet procuratis. Et ſcopum hunc, vti ſaltem bis quo ſupra loco repetitum. atq; vti potiſsimum, intendendúmque ſemper, Primo de febrium differentiis amplexus eſt Galenus iis, Quod quum nos præuidiſſemus ſtatim ab initio quæcunque corpora humida videamus omni via exiccare conabamur: quæ verò ſicciora, in his antiquum habitum conſeruabamus: at in quibus ſuperfluitates redundabant, hæc purgationibus ſanabamus, obſtructiones autē foraminū aperire, atq; abſtergere ſtudebamus. Sed hæc quodammodo artis curatiuæ propria eſſe videntur: neque in ambiguo eſt, quin plenius ſit de his in eo loco dicendum. Sed an adimpleuerit hæc, an ſecus, conſideratione opus habet. Et conſimiliter, an ne perfecerit quæ Decimo methodi ad calcem pollicetur iis, Verùm de colliquantibus febribus diſſerere in poſterum licebit, atque vt de his hecticis febribus quæ in peſtilentiis contingunt, cuiuſmodi eſt, quæ nunc publicè graſſatur, dicetur nanque de hac inter peſtilentes febres. Equidem neque capitulum minimū aut peſtilentium, aut colliquantium habuit

gal. 1. de diffe. fe. 3. cla. 33. A.

gal. 10. metho. 7. cla. 68. C.

buit in subsequentibus de methodo medendi libris, neq; vt expediens erat, atque in cæteris executus est, largè de ipsis pertractauit. Et non satisfaciunt, vt de pestilẽtibus peregerit, vndecimi methodi scripta hæc: Quibus si eas quæ à viribus præbẽtur adiecerimus, absoluta nobis methodus de febribus omnibus à putredine incensis sanandis erit. Nam de eis ibidem duntaxat, vt sub generali putredinalium scopo hoc comprehenduntur, pertractauit. quum ille equidem inquantum pestilentes, aliam à putredinalibus curationem admittant. Cuius euidens demonstratio est, quoniam vt consequenter Hippocrati, & Galeno, ex locis illis concedamus communem consensum, Pestilentes febres exiccationem pro scopo habent, sed omnium earum febriũ, quæ à putredine humorum ortæ sunt, non exiccatio, sed humectatio, pro remedio est. & proinde derelictum à Principe est de cura febrium pestilentialium: Summa curationis earum est exiccatio, & illud cum phlebotomia, & solutione ventris. & oportet vt incipiatur in ea ad euacuandum. Si autem materia vincens fuerit sanguinea, fiat phlebotomia, & si fuerint humores alij, euacuentur. Et sic illa citata iam, tam Hippocratis, quàm

Galen. 11. metho. 7. cl. 70. A.

Auic. 1. 4. tra. 4. c. 4

Galen

Galeni, in curationis ſcopo intelligentur (ſi proteruiendi deſiſtat perfidia) quoniam & in commemoratis locis ipſimet ſeipſos intelligendos expreſſerint: & etiá quùm quinto methodi ſui natura ita laborantes præpurgatos fuiſſe firmauerit Galenus iis ſcriptis: Cæterùm qui ex peſtilentia hoc vitio laborarunt, propterea mihi facilè ſanati videntur, quòd præſiccatum his, præpurgatúmque, totum corpus fuerit: Quippe cùm & vomuerint ex iis nonnulli, & omnibus venter profluxerit. Et etiam quoniam quicunque præſeruationi congrui ſunt ſcopi, & præcipui, ipſi idem ad curam neceſſarij exiſtunt, ſi inſpiciantur rectè. In curandi methodo igitur etiam illa, & de ea ſolutione ventris, qua humores euacuantur, & quæ purgatio à Galeno dicebatur (vt interpretem decet optimum) interpretatus eſt Princeps, prout quicunque dicendi modum nouerint viri, ab omni paſsione deſidij ſemoti iudicant. nec ab re: nam quum maligna admodum febris ſit, eſt quieta exterius, conturbans interius, ſecundum plurimum perdens. Quemadmodum & Tertio de præſagatione ex pulſibus innuit Galenus: Quum ergo adiuuatur natura, cõuenit ei adiutorium vltimũ. veluti à nobis

Gal. 5. metho. 7. cla.

Auic. 1. 4. tra. 4. c. 2. Galen. de preſag. ex pul. 4. cla. 117. Auic. 1. 4. tra. 2. c. 7.

ſupra de eradicanti ſecundum eius mentem propoſitum eſt. Nanque, Extremis morbis extrema exquiſitè remedia optima ſunt.

Hip. 1. aph. 6. Ext. 4. D

Deinceps, ſi nobile quodpiam membrũ peccans materia non adhuc afficiat, verùm materiæ ipſius ad eum princeps membrũ vel obliquo, vel recto curſu, timeatur raptus: & ob id timoroſa exoriatur affectio. Nam quartæ oraculorum ſectionis Commentario decimo, de obliquo, vagóve motu, à Galeno ſcribitur: Quando igitur in toto corpore ſimilis huic fuerit naturæ impetus ad excretionem ſuperfluitatum, vel ſi non in toto corpore, ſaltem in partibus principalioribus, tale quid conſueuit Hippocrates per verbum, Turgere, ſignificare, & ſtatim per medicamentum euacuationem faciendam indicat, prius videlicet, quàm robur corporis diſſoluatur, vel febris caliditas augeatur, aut ad aliquod membrum principale decumbant hi, qui per corpus vagantur humores. De recto autem motu in eryſipelatis repulſione dicebatur: Nec tamen non periculoſa toti corpori eſt huiuſmodi curatio, propterea quòd bilis interim ad aliquod princeps membrum fertur, quippe cùm ſi vel ſanguis ipſe abundet, haud tutum ſit, ex

Gale. 4. aphor. 10. Ext. 29. C.

Gale. 14. metho. 7. d. 8, G

minor

minoris notæ membris fluxionem eius repellere. Et secundum horum proportionẽ de curandi methodo per sanguinis missionem insertum est, Nam in quibus tibi sanguinis feruẽtis copia apparet, quàm ocyssimè eos vacuare conator, prius quàm in principẽ aliquã partẽ ingruat. Nec secus ac Galenum consensisse Auicennam de curatione dolorũ iuncturarum diiudicatur his scriptis : Repercussio autem materiei à membro non oportet, vt fiat materia existente fortis effusionis, & quæ plurimum per partem post partem successiuè effunditur, illud enim facit duas res malas: quarum vna est, quòd facit materiã inobediẽtem, & est contrarium motui eius, quare accidit dolor magnus, & quum accidit huiusmodi, tunc cessa, & occupare cum lenificantibus. Et secunda est, quoniam fortasse conuertitur ad membra principalia, quare accidit timor. & quũ nõ est plurima, aut est paruæ effusionis ad locum, tunc non est malum repellere eam, nisi in sciatica. nã repercussio in sciatica retinet materiã in profundo, quare oportet, vt fiat paulatim debiliter, aut dimittatur, & fit occupatio cum euacuatione. Nec ad nobilia mẽbra repellere. 4.1. De medicationibus apostematum docuit iis, Non enim curamus

Galen. de sang. mis. 6. cla. 303. D.

Aui. 22. 3. tra. 2. c. 7.

Auic. 4. 1. cap. 25.

nisi de eo, quod mēbro principali est melius, & timemus quòd si materiam refrenauerimus, redibit ad membrum principale, & perueniemus inde ad illud, quod emēdare non poterimus. Proinde 3.4.tra.1.cap.6. reliquit, Ex reditu verò materiei ad membra principalia securat euacuatio.

Auic.3.4. tra.1. c.6.

Cæterùm quum in aliquo membro ex principalioribus morbifica contineatur materia, nam quoniam, Quæcunque mala in corporis validissima parte fiunt ea grauissima sunt, si quidem vbi cœperunt permaneant, membro enim validissimo affecto totum corpus necessariò afficitur. Et proinde est modus mortis. Primus quidem in principiis accessionum, qui in magnis inflammationibus plurimum contingit, quæ membra occupant principalia. In his profectò purgationem ad Hippocratis placitum collegit Galenus: nam quarto methodi, descripta prius serie Hippocratis libri de vulneribus adiecit. His verbis clarè docuit, vlceribus omnibus, & vulneribus, quotiens præualida sunt, purgationem esse vtilem. Quum enim trifariàm non hæc modò vitia, verùm etiam reliqua omnia, grauia, magnáque, reddantur. nempe vel propter afflictæ partis præstantiam, vel propter affectus

Hipp. de homi. natu.

gale.3. de cris. 4. cl. 144.E.

gal.4. metho.7.cla. 28.C

mag

magnitudinem, vel propterea quòd sunt cacoëthæ, cuiusque horum videtur Hippocrates mentionem fecisse. Et in huius conformitate etiam de curandi ratione per sanguinis mißionem scribitur, Eadem ratione in his, quibus pars quæpiam grauiter icta est, aut vtcunque incipientem habet phlegmonem, eam si magnam fore suspicabimur curationem ab inanitione auspicamur, aut purgatorio medicamine exhibito, aut vena incisa, prout nimirum alterum altero magis conuenire iudicamus. Hac etiam proportione de canonibus vniuersalibus in curatione cordis, 11. 3. hæc habet Princeps, Propterea quòd cor est membrum principale prius omni principali, & sublimius eo, oportet vt sit velox studium in curatione eius cum medicinis, ita vt adiuuetur absque errore vltimè, siue velimus ex eo vacuare humorem, siue permutare complexionem. Et conuenit vt itidem de cæteris principalibus intelligatur. Galen. de sang. mis. 6. cla. 302. D. Aui. 11. 3. tra. 1. c. 6.

Sibi igitur vndequaq; attestari veritatẽ, atq; admodũ elucescere, palàm. Necnon quum secundum aliorum opinionem Galeni sententiã recensuimus, eã admodum mancã citari, dũ huiuscemodi opinãtes ad mittunt Galenum per turgentẽ materiã,

intell

intellexiſſe ſolummodo mobilem: Quippe licet præcipuum, nobiliúſque, turgentis ſignificatum tale exiſtat, atque propter excellentiam ita nominato vocabulo concipiatur, atque à Galeno, quum quid ſit turgens declaratur id, veluti omnium notiſsimum proponatur: ſicuti &, Multa ſiquidem nomina communia citra diſtinctionem dicere conſueuerunt, quum eo, quod in ſignificantiis rerum melius eſt, declarare voluerint. Attamen & turgentes antedicti alij erunt. Neque huiuſcemodi nomenclaturæ ſatis eſt, vt humores de loco ad locum etiam abundè vagantes transfluant: quoniam ſic quum aliquod à pituita, vel atra bili, conflatur apoſtema, furioſum diceretur: proptereà quòd de loco ad locum in eis morbificus is moueretur ſuccus. ſed veluti optimè Laurentianus primæ oraculorum ſectionis vigeſimoſecundo Commentario transferre videtur his ſcriptis: Vt enim illa fluere non deſinunt, nec vnquam manent, ſed accenſa libidine ferociunt, ita ſucci ſæpenumero incerta, & inſtabili ſede deflui, maximos ac violentos motus cientes, nimio, inordinatóque fluxu, totum corpus, actúſque omnes, violenta concuſsione turbulentant, ac motabiles, & requietis inſcij, nutu

Gale. 4. in acut. 7. 139. G.

gale. 1. aph. 22. ex Laur.

nutu ſuo, & velut pro arbitrio, corpora agitant, & laceſſunt. Poſt hæc etiam quamuis tali motu non moueatur materia, ſed ad aliquod nobilium membrorum recto tramite feratur, turgere dicetur, veluti ſuprà capitulatum eſt iam. Aliíque morbi furioſi erunt, quum vel multæ, vel malæ admodum materiæ, vel vtroque modo peccantes, periculoſum, acutiſsimúmque cauſauerint morbum, deſumpta ab eis animalibus ſimilitudine. ſicuti nanque violento illo motu ad coitum ſtimulata animalia corruunt, fureréque propterea dicuntur: ita acutiſsimæ illæ ægritudines veloci motu, inordinatóque atque aſſultu violēto, naturam afficiunt, perterréntque, atque ad criſin properant, & finem quod & amplius, & clariſsimè, primo de criſibus translatum eſſe ad morbos mouentes ſeſe eiuſcemodi motu, & potiſsimùm quū in eis materiæ, ſpiritúſve concitati moueantur ſic declaratur. Quod verbum propriè de animalibus dici conſueuit, quæ ad coitum rapiuntur: translatum autem eſt ad eas quæ properant, & celeriter mouentur ægritudines: & præcipuè quum laborantis ſenſus ab inordinata humorum, atque ſpirituum agitatione irritatur. Porrò quòd acutiſsimè quas ita nominauimus

Gale. 1. de criſ. 4. cla. 130. D.

mus ægritudines, à prædictis materiebus originem trahentes, eo turgenti motu moueantur, circa particularia versanti maximè palàm est: Profectò Acuti morbi magni sunt, & ad suum vigorem celerrimè properant; non absque ratione igitur in pauco tempore, & magnas faciunt permutationes, quod idem est, quod iudicari. Nec secus sensit Secundo de decretoriis diebus, Archigenem sic de hac extollens sententia. Porrò Archigenes multis nominibus & diuersis laudandus est, maximè verò, si studium eius artis tractandæ medicæ cognoueris, quoniam non solùm temporibus solis, nudis, sed motu, & natura magis, acutum, vel peracutum morbum appellauerit. nam quum segni, lentóque motu, cum interuallis à febre remissis ad quadragesimum vsque extenditur, nemo sanæ mentis acutum quidem nominauerit, etenim si ante quadragesimum cesset, huiusmodi iam diuturnus est, alios verò morbos breues vocat æquum esse dicens nec acutos, nec diuturnos appellari, quemadmodum paruas has, & à periculo remotas febres, quas nõ diuturnas esse quis ignoret, & si ab acutorum natura recesserint. nam acutum hunc esse ait cui motus velox, & subita pe-

Gal. 2. aph. 23. Ext. 15. G.

Gale. 2. de die. decret. 4. cla. 157. E.

ricula

ricula adueniunt. Atque Tertio de decretoriis diebus hac ſerie, Acuto alia morbi natura nullum proprium nomen ſortita, oppoſita eſt, ídq; meritò euenit: nam acuti morbi propter velocitatem periculoſi, vt Archigenes deſcribebat, vt autem Hippocrates cum febre continua euenientis, accidens neceſſariò erit, vt celeriter ad criſin perueniant: etenim ex motus ſpecie acutus nuncupatur. Ea quoque ratione conſiderandum in morbis primo de criſibus præcepit. Et quíſnam ſit in morbo motus, hoc eſt vtrum acutè, aut tardè, veluti ſuccenſus moueatur. Proinde turgentium ægritudinum motus, vehemens, velox, inordinatúſque intelligetur, veluti in valde acutis illis, timoroſiſque euenire perſpicitur. Sed ſimilitudo translationis nominis turgentis deceptionis contrarium opinantium in cauſa extitit. nec mirum, Similitudines etenim, vt ipſe inquit, non ſolùm vulgares, ſed etiam medicos eruditos aliquando decipiunt. Amplius attamen proponimus, concitatum, violentúmque, peracutarum ægritudinum motum exponi poſſe, vel mouentis materiæ ratione ad naturam affectam, vel reſpectu naturæ ſeſe mouentis in moleſtantem materiam. Primum modum

Gale. 3. de die. decre. 4. cla. 162. C.

Gale. 1. de criſ. 4. cl. 134. H.

Gale. 4. aph. 2. ext. 28. E.

accip

accipi à Galeno non ambiguum eſt in pro prio eiuſdem oraculi Commẽtario, atque Octauo de compoſitione medicamẽtorum localium ſtomaticha pharmaca ab Aſclepiade conſcribens, hæcq; ſeries exiſtit, Cõcocta enim medicanda rectè cenſet Hippocrates, nõ cruda, neq; in principiis, niſi ſua ſponte concitata id expetant, hoc eſt niſi motus ad excretionem nos adducat. Nec ſecus de totius morbi temporibus libro, ac quos purgare conueniat tractatu, atque ſecundo in ſextum de morbis vulgaribus ſerie hac, Sed forſan vt nonnulli crediderunt hoc verbum iraſci per translationem ab animalibus in venerem concitatis dictum eſſe poterit. ita enim ipſe vti videtur, quum dixit in Aphoriſmis, Medicari in valde acutis ſi turgeat, eodem die. nam in humoribus ad exitum paratiſsimis, & ad euacuationem properantibus, in proximè dicto, & in aliis Aphoriſmis, hac voce, Turgere, vti videtur. Verùm ſecundi modi ſenſus decimi quartæ ſectionis oraculi in commẽtario expromitur iis, Quando igitur in toto corpore ſimilis huic fuerit naturæ impetus ad excretionem ſuperfluitatum, vel ſi non in toto corpore, ſaltem in partibus principalioribus, tale quid conſueuit Hippocrates per verbum, turg

Gal. 8. de cõp. med. loc. 5. cla. 198. D.

Gale. 2. in 6. de mor. vulg. 3. cl. 154. d.

Gale. 4. aphor. 10. Ext. 29. C.

turgere significare. Atque tertio in librum de fracturis iis, Quòd si gliscere quoque vlcus videatur, quod ὀργᾷν vocant, id est, ad excretionem festinare, atque incitari pars quæ laborat. Quo sensu & ipse Princeps Hippocratis mentem exposuisse videtur his scriptis, Apud statum verò non moueas aliquid, donec vincat natura, & digerat: & si ipsa nõ mouet, moue tu hora motus eius. & si ipsa non mouet, aut mouit, tunc dimitte eam, & operationem eius. & hoc est illud, quod nominauit Hippocrates furiositatem. Verùm quicunque de numero prædictorum sensuum accipiatur, propositum parumper diuersificatur. Pro comperto, ac constanter habitò, naturam irritatam ante tempus expellere grauantem materiam, mobilémque, ac maximè proritantem, quemadmodum ex Galeno sæpius patescit: & Auicenna sic subscribens adstipulatur, Euacuatio autem eius, quod debet retineri, est aut propter fortitudinem virtutis expulsiuæ, aut propter debilitatem retentiuæ, aut propterea quòd materia nocet grauitate propter sui multitudinem, aut distentionem propter ventositatem, aut propter mordicationem sui acrimonia, & acuitate, aut propter materiei subtili-

Galen. in li. de fra. 7. cl. 236. A

Auic. 1. 4. tra. 2. c. 7.

Auic. 2. 1. doct. 2. sum. 1. ca. 17.

tatem, qua fiet, ſicuti quod eliquatur per
ſe, vnde ad expellendum fiat facilis. Ex
vtriſque igitur natura expellente, & ma-
teria irritante, perficitur euacuatio, qua-
propter quartæ ſectionis primi oraculi in
Galen. 4. expoſitione à Galeno ſcribuntur hęc, Quũ
Aphor. 1. ſuperabundantes humores mouentur, &
Ext.28.B. per totum corpus deferuntur nondum in
aliqua parte firmati, tunc ad eos expellen-
dos natura irritatur. Huícque ſecundi in
ſextum de morbis vulgaribus commenta-
Gale.2.in rij iſta ſubſcribit ſeries, Quando euiden-
6.de mor. ter tempus, quo ſit euacuandum declarat,
vulg.3.cl. vtrum ſcilicet ab initio ante morbi con-
159. D. coctionem, quando (vt ipſe inquit) mate-
ria turget, & natura animalia regens ad
humorum excretionem feſtinat: an poſt
vexantium humorum concoctionem: nam
& hoc ipſe quemadmodum & prius di-
ctum in Aphoriſmis docuit. Et denique
quod de eradicanti propoſitum eſt, ac con-
ſimile Aphoriſmo veluti admodum aper-
tum hac libri de humoribus excipitur
Hipp. lib. ſcriptione, Matura verò medicaminibus
de humo. purgato, & agitato, non cruda, nec per
exordia, niſi res poſcat, cogátve, plerun-
que tamen non poſcit, cogitve. Et vt
ipſe interpretatur Leonicenus in primo
quartæ ſectionis oraculo, Si materia tur-
get

get, inquit, hoc eſt cogat accelerare. Quibus & Princeps ita aſſenſit, Et dicemus, quòd in ægritudinibus in quibus eſt timor, & non ſumus ſecuri ex defectu virtutis, ſi quod facere debemus, tardauerimus, & minuerimus, à forti medicina primò incipere debemus, illæ verò, in quibus non exiſtit timor ſecundum ordinem ad fortiorem procedent, ſi non ſuffecerit ei debilis. Atque & iampridem itidem propoſitum extitiſſe Galeni prædicamus quarto methodi hiſce, Minimè igitur ſicuti medicorum nonnulli cenſent à paruis incipiendum auxiliis eſt, nec ſicut illi dicunt ſentiendum, iſta ſcilicet prius eſſe tentanda, mox ſi nihil profecerint, aggredienda maiora. Nam in morbis, in quibus periculum non impendet, vera ea opinio eſt: at vbi moriendum ægro prorſus eſt, ſi pthoëm ſemel exceptus ſit, alieniſsimum à ratione eſt à minoribus inchoaſſe, nam ſicuti reliqua omnia ab Hippocrate tradita, ita quoque illa ſententia rectè eſt dicta nempe ad vltimos morbos vltima prorſus remedia maximè valere. Et de eradicanti modo ſatis hæc ſint.

Galen. 4. Aphor. 1. Ext. 28. B Auic. 4. 1. cap. 1.

Galen. 4. metho. 7. cla. 36. B.

# VNIVERSALIS ABSOLVTIO.

POst hæc vniuersaliter proferendũ est, Quòd in quocunque morbo vacuationum dictarum aliqua conuenit annuentibus cæteris, in quolibet morbi tempore fieri posſit, dummodo ad eas euacuationes corpus, quod purgari debet, paratum sit. Verùm vt propositum pensum hoc perspicuum admodũ fiat, necessariò tria præscienda sunt. Primùm, quòd licet morbi qui vacuationem postulant, ex plenitate fieri supponantur, siue plenitas illa quãtitate afficiat, siue qualitate conturbet, non attamen repletio quæuis confestim vacuatione curanda est, quinimo si sola seruari poterit coctione, duntaxat coquẽda ipsa erit, veluti quum modica materia fuerit, parúmq; à naturali abscesserit temperie. Si verò coctio non suffecerit sola, euacuanda profectò tunc erit materia, & potisſimùm, vel quum multa admodum fuerit, vel longè nimis ad præter naturalem declinauerit prauitatem, & veluti neutra bile ad propriam naturam redire valente. Oportet igitur excrementum siue calidum id sit, siue frigidum, ipsum aut expellas, aut certè alteres. Recipit verò

Gal. 4. de tuẽ. val. 2. cla. 80. H.

non

non omne excrementum alterationem à natura. ſiquidem nec omnis cibus in cuiuſuis animantis ventre concoquitur, ſed cognatio quædam ei, quod concoquit cum eo, quod concoquitur, eſſe debet. Quod igitur omnino alienum eſt, nulla fieri ratione poteſt, vt id ex natura gratiam accipiat: ſed educere id quamprimùm eſt tentandum, æquè certè, vt quæ in ventre corrupta prorſus ſunt, ea vel vomitione, vel deiectione, expelli, profectò eſt optimum. Si attamen materia plurima fuerit, nec multa eius quantitas ad multam acceſſerit prauitatem, primitus vacuatione quadam diminuenda eſt, deinceps excoquendum quod ſupereſt, atque demum peculiari purgatorio inſtrumento vacuandum erit. Obſeruandáq; ſunt omnino pręcepta quæcunq;, quæ nos diminuendi modum pertractantes ex Galeno largiter excerpſimus. De his nanque ita ſenſiſſe Galenum ſecundo de ſymptomatum cauſis non ambigendũ eſt, ſic aſſerentem, Quoniam autem vt dictum eſt, & frigida cauſa, & calida, concutientem rigorem creat, ad calidam quidem, quæ ſcilicet aërea eſt, refrigeratio ſatis pro remedio eſt, humidam verò febris neceſſariò comitatur, ſanatio verò eius vacuatio eſt, at frigida, quæ aërea

Gal. 2. de ſimp. ca. 3. cla. 23. E.

ſit calefactio remedium eſt : ei verò, quæ humida eſt, aliquando ſola concoctio ſufficit, aliquando vacuatio deſideratur, eſt verò, quando ambo competunt. Et conſimiliter interpretatus eſt Princeps in iſtis,

Auic. 4. 1. cap. 1. Aegritudo quoque ſi multæ ebullientis materiæ fuerit, in principio eam euacuabimus, non expectantes maturationem: & ſi mediocris fuerit maturabimus eam, & poſteà euacuabimus. Et in ſententia hac etiam expoſuit Raſis his verbis, velu-

Raſ. 30. cont. tra. 9. cap. 2. ti etiam parte huius ſecunda in propria mente deſcriptum eſt videlicet, Dico ego, quòd alterantia complexionem, non ſunt adminiſtranda, niſi quando complexio cuius alteratio quæritur, habet ſuam materiam diminutam: tunc enim vtile eſt curari in alterando complexionem. Sed quum quæris alterare complexionem materia exiſtente multa non eſt poſsibilis alteratio tota. Et iis perſpicuum ſatis eſſe coniiciendum eſt, morbis ex plenitate per concoctionem haudquaquàm corrigibilibus euacuationem conuenire duntaxat. Secundò prænoſcere opus eſt, quænam annuentia ipſa ſint, atque dehortantia. Pleraque enim ab Hippocrate de humoribus conſcribuntur libro, ſed ea (veluti ſecundo artis curatiuæ de cauſis in-

flam

flammationis collegimus) ita iis perstringi liceat, Ad quæ verò inspiciẽtes oporteat euacuare iam, & anteà diximus, sed & nũc breuiter commemorabimus, vt in sequentibus memoria seruata, nõ sit necessarium in singulis pasSionibus eas, quæ euacuationem indicant, audire intẽtiones. Aetatem igitur, tempus anni, & regionẽ, & præsentem cõstitutionem, & eius qui afficitur, robur habitúmque, & consuetudinem, atque ipsam ægritudinis naturam, diximus cõsiderandam. Ex his enim quando euacuare, vel non euacuare oportet, & vnde, & quomodo inuenietur. Et profectò res quæ demonstrant rectitudinẽ iudicij in euacuando, sunt decẽ, Repletio, & Virtus, & Complexio, & Accidentia conuenientia (sicut si contingeret, quòd naturam soluere vellemus, deinde accideret ventris solutio, quoniam ventrẽ soluere super ventris solutionem, est timorosum) & figura, & Aetas, & Tempus, & Aëris, & Regionis dispositio, & Cõsuetudo euacuandi, & Ars euacuandi: hæc nanq; quũ fuerint contraria significationi per quã euacuatio facienda erit, prohibebunt euacuationem. De eísq; singulis vt indicant, contrà indicántve, tum isto loco à Principe, tum à Galeno primo de arte curatiua, de cura febrium continuarum

Gal. 2. art. cur. 7. cla. 101. G.

Auic. 4. 1. cap. 3.

fusè, apertéque, videre est, ne vt excedens nimis hic existimetur inscriptio: potissimúmque, quum posterius aliquotiens rememinisci continget. Scitò attamen ita ad vires ipsas animaduertendum: Nam vt in vniuersum dixerimus in omni euacuatione vires ægri oportet attendere, & donec tolerat: & dum laborant, tentandum est humorem exuperantem educere: quum verò dissoluuntur, etiam si restent superfluitates, cauere oportet earum euacuationem. Quippe Deiectiones non multitudine sunt æstimandæ, sed si talia deiiciuntur, qualia conueniunt, & ægri facilè tolerant. Proinde primo de victus ratione in acutis ad calcem commentarii vltimi sic à Galeno scribitur, Simúlque virtutem, neque tanquam remediorum, vsum aliquando indicantem, sed tanquam contrario indicãtem modo, interdum autem & prohibentem. non enim quòd æger valida sit virtute, ob id clysmate est opus: sed clysmatis indicatio ex ventris desumitur affectu, si verò virtus valida fuerit, vacuationi non reclamat, quæ si imbecilla est, vacuationem ipsam inhibet. Et quum deficit, non valet curatio: curans enim sicuti sciuisti, est virtus, non medicus, quoniam medicus facit peruenire instrum

Galen. 1. aph. 3. Ext. 3. H.

Hippoc. 1. aph. 23. Ext. 10. F.

Gale. 1. in acu. 7. cla. 115. E.

Auic. 1. 4. tra. 2. c. 8.

ſtrumenta ad virtutem. Conſentientibus igitur vnà cum virtute coindicantibus cæteris, & euacuationes rectè procedent, quemadmodum & in præſidiis cæteris ſe habet: Diſſentientibus verò, cuncta prohibebunt. Tertiò præſcire neceſſe eſt, quomodo corpus vacuationibus paratum ſit. Nempe id accidit quum materiis viæ, viíſque proportionentur materiæ: neque aliquod ex viſceribus ab impediente quopiam affectu detinetur. Et quanuis viarum indiſpoſitio ex libro de morborum cauſis à pleriſque contingat occaſionibus, præcipuè tamen aut coangustatione fiet, aut ſuperficiei aſperitate, aut duritie, quas amoueri neceſſe eſt. Dilatantibus itaque, ac adaperientibus, ſtrictura dirimetur, duritiem autem mollientia, & aſperitatem applanantia, remouebunt. Sed illud tamen moneo, non vnam eſſe induratorum naturam, neque vnam medelam: nam quod à ſiccitate induratum eſt, humectari poſtulat, quod verò à congelatione, excalfieri, quod autem à repletione, inaniri. Humorum autem diſproportio ad vias, ob quam & obſtructio in ipſis eſt plurimum, vſu venit, Vel ex ſuccorum qui extrorſum in ipſis confertim ruerint craſsitudine, multitudine,

Gale. 5. de ſimp. medic. fac. 5. cla. 34. B.

Galen. 11. meth. 7. cla. 69. E.

vel lentitia. Et tu quidẽ iam ſciuiſti diffe-
Auic. 4.1. cap.24. rentiã inter groſſum, & viſcoſum, & quòd eſt ſicut differentia inter gluten liquidum, & lutum. Et omnia illa conſtipare haud ambigit ſapiens: atqui prætereà abſq; illis (veluti dictum eſt) quicunq; multi fuerint. Cernimus enim aliquando etiam quod
Galen. 8. meth.7.cl. 53.B. multum eſt, dum ſimul totum confluit obſtruendo hærere, infigíque non minus, quã ea quæ glutinoſa ſunt, & craſſa. Quòd ſi per meatus anguſtos eſt tranſitus, multò profectò magis detineri. Potiſsimùm igitur hæc abeſſe oportet, videlicet craſsitiẽ, & viſciditatem. quæ equidem ab ipſis aberunt ſuccis, quum ob concoctionem præcedentem propriæ vnuſcuiuſq; ſpeciei mediam adepti fuerint conſiſtentiam. Coctio
Gale. 5. in 6. de mor. vulg.3.cl. 182.F. Gale.2. de diff. feb.3. cla.2.C. ne ſcilicet omnem ad mediocre temperamentum adductionem ſignificante. Sumatur verò & hic conſtans omnium confeſſione principium, id quod naturale exiſtit, moderatum eſſe, nõ in animali ſolùm, ſed & in plantis, & ſeminibus, & omnium organo, quod verò non naturale, immoderatum. Igitur & quicunque humores talem conſiſtendi modum adepti fuerint, quo ad ſubſtantiam attinet, optimè proportionati exiſtimabuntur.

Quamobrem (ſi obiter paucula hæc inſerere

ſerere liceat)non eſt vt neotericorum quorundam aſſentiamus opinionibus, dum Galeni eſſe ſententiam aſſerunt, ſuccos ſubtiliſsima ſubſtantia peccantes non eſſe per incraſſantia concoquendos: quinimo magis, atque magis, attenuandos demúmque ſic è corpore educendos pharmaco. potiſsimùm hoc argumento, quòd ferè ſemper iubere videatur attenuandos, incidendóſque, morbificos humores eſſe, & haudquaquàm incraſſandos, tenuéſque ad excretiones paratiores fore, tum in aliis pleriſque locis, tum in tertio prognoſticorum iis, Sæpe enim dictum iam eſt, vt humores corporis calidiores, tenuioréſque, paratiſsimi ſint ad excretionem. Atque Tertio de ſimplicium medicamentorum facultatibus, ad calcem iis, Itaq; quòd à purgatione & alieni quoque vacuentur ſucci, eas habeto cauſas. Porrò quòd ſupradicto ordine, vacuandorum tum tenuitas, tum craſsitudo, in cauſa eſt: & ad hæc prout magis, & minus, animantium conſtitutioni ſuccus quilibet familiaris eſt. Inſeruntúrque quinto in ſextum de morbis vuulgaribus hæc, Aliud quoddam propoſitum eſſe dicebamus attenuare videlicet ſuccos, & itinera humoribus in ventrem deſcendentibus expedire, in illis

Gale. 3. in progn. 4. cla. 211. D.

Gale. 3. de ſimp. medi. fac. 5. cl. 26. A.

Gale. 5. in 6. de mor. vulg. 3. cl. 186. D.

illis enim verbis, fluxa facere, quod in aphorismis præcepit, hæc cõtinentur. Con-similia, etiam quos purgare conueniat libello videlicet, Siquidem inter morbi initia tenues, & aquosos humores euacuabis: vbi crassi, & tenaces fuerint, quales suapte natura sunt pituita, & nigra bilis, concoctionem expectabis. Quibus germana de dinamidiis libro Galeno attributo cõscribuntur, & huiuscemodi aliâs sæpe. Sed hi profectò, qui nouarum inuentionum gloriosi ad pauca respicientes hæc dicere, scriberéque non erubescunt, non Hippocratem, Galenúmque insecuti, sed Rasim dissimulãtes, facillimè decepti sunt. Nam & aliter sensisse Galenum, quàm neoterici ipsi dicãt, nedum Princeps, sed & Rasis memoriæ monumentis reliquit. Et verè aliter tam Hippocratis, quàm Galeni assonant scriptiones: alitérque in artis operibus præ se ferre veritatem conspicitur. Nam si veræ coctionis modo id esse intendant, communi omnium consensu falsum dicunt. Coctio enim omnia cogit, incrassatq́;. si etiam in curatione id proferãt, quæ contraria incessione fit (veluti rectam fieri medelam præscriptum est) perperam sentiant, Hippocrate ipso sic authore, Extenuare, crassum facere, vas, cutem,

Gal. quos purg. cō. 5. cl. 91. D.

Gale. 4. in acut. 7. cl. 134. D.

Hip. 6. de mor. vul.

carn

carnes,& alia,& hæc quidem ſic, illa verò non. Atque ipſo Galeno in infinitis(vt ita dicatur)annuente locis,& de arte curatiua & de medēdi methodo libris:potiſsimùm ſecundo,quarto,& ſeptimo, & ſæpe alibi, quorum locorum ſeries hîc pertranſimus. In omnibus itaque regreſsionem ab immoderatione ad commoderatum contraria immoderatio molietur:nam veluti viā quandam ire,quod præter naturam ſe habet,dum ad naturam redit,oportet eandē quidem ſed contrario itinere.at ſi gradum reuocare debeat per præſenti diſpoſitioni contraria remeabit.Fueritque id communiſsimum;&generaliſsimum,quo medela vniuerſa ſpectat morborum, nempe contrarium, vti ſanè vel ab Hippocrate dictū eſt,contraria contrariorum remedia.Hoc itaque quod in dictione tam eſt breue, nēpe contrariorum contraria eſſe remedia, poteſtate deprehenditur maximum:quippe omnem medendi methodum confundet quiſquis hanc indicationem neglexerit.Ergo indicabit vt dictum eſt præcedētium cauſarum quælibet proprium aliquid,multitudo ipſa,quæ ex eorum eſt numero, quæ ſunt ad aliquid in prædicamēto quantitatis, vacuationem.Lentitia verò ,& craſsitudo, quæ ſunt in qualitatis

Galen. de conſt. art. med. Iſago.38.G

galen. 11. metho. 7. cla.71. D.

gale.ſup. 71.H.

affectu

affectu, ſanationem, quæ per cõtraria perficiatur. Neque eo cauillo vti licere contra hæc admittendum eſt, quo & prædicta aufugere quipiam illorum nixi ſunt, & alia quæ tum quinto methodi pluries in ſanguinis profluuio. & ſeptimo de compoſitione medicamentorum ſecundum locos, de reiectione ſanguinis, & de aquæ frigidę potu in ſinoco, cauſonéque, nono methodi: & primo curatiuæ artis. & de bilioſi ſucci incraſſatione in ſincopa, duodecimo methodi. &(vt decurtata ſit dictio) millibus in locis vbi incraſſantia ſuccos exhibentur. euitare inquam nixi ſunt illi, aſſerentes craſſationem illam fieri, dum ſimilis veræ perquiritur coctio: Sed non ita, quum concoquuntur humores, atque ad excretionem præparantur. Nam hi profectò ob primum eorum dictum omnia adducta non tollunt, quum euidentiſsimè de actione illa, qua cõcoquuntur ſucci in morbis proferantur. Nec ob ſecundum aſſequentia remouentur, quoniam de ea quæ in tuſsi fit præparatione ad expulſionẽ conſpicuo appareat, quòd perperam id dicatur, quoniam in illis, ea ipſa materia ſi admodum tenuis & aquoſa eſt, vix ſcreatur, vt quæ circiter ſpiritui circumfluat. Quamobrẽ & quę per papauer incraſſant,

Galc. 2. in progn. 4. cl. 20. G.

ac

ac opium exhibentur, ſeptimo de compoſitione medicamentorum ſecundum locos. Et in quamplurimis aliis morbis conſimiliter fit. Neque vlterius reſponſum id ceu verax concedi debet, quod aliqui inſequẽtes prædictos apparentius obliterare, deliteſceréve, ſtudentes prædicta, ſubdidêre. hoc ſcilicet craſſationem illam in earum excretionum præparatione quæ per ſupera fit concedi, ſcilicet in illis modis, quibus impetu ſpiritus depelluntur ſucci. Sed in eis quæ per inferas partes, ſedémque potiſsimùm adueniunt, non eſſe ſic. Quaſi hoc annuere velint, quòd vtrobique non eadem naturalis expultrix agat vis: non eodémq; inſtrumento, perſpicientes fortaſſe conſimilia ſeriebus iis: Quanquam mouendi modus nec in omnibus idem viſitur, nec ab eadem facultate fit, ſed circum ea quæ ab vtero, inteſtinis, ventre, veſicáve, excernuntur, ipſæ particulæ ſe contrahunt ad eum modum id, quod in ſe continent extrudentes, quò manus noſtræ aliquid exprimũt. facultas autem quæ motum his præſtat, vna è quatuor naturalibus eſt: verùm quum in aſpera arteria contineatur corpus quoddam cartilagineum, duræ'que ſubſtantiæ, quod idcirco cõſtringi circa id, quod intra ſe habet non Gale. 2. de ſimpt. c. 3. cl. 21. H.

valet

valet,natura ſpiritum cum concitato impetu extra deferri ſubigit, ac tuſsim mouet,& fit per eadem inſtrumenta,per quæ magnæ,& vehementes, ſpiritus expulſiones,quas flatus nominamus, efficiuntur. Veruntamen in eo libro eodem autore perſpectent. Quod licet aliis motibus,atque aliis, vel in illis membris exiſtens, vel in diuerſis aliis, expultrix agat vis:

Gal.ſup. 24.F. Commune in omnibis iam dictis eſt,quòd expultrix vis ad vehementiores motus ſe concitat ad ea,quæ contriſtant, ſicut prædiximus perſequenda. Igitur à facultate eadem expellente vndique omnia expelluntur: veruntamen & ab aliis facultatibus adiuta,& ab animali potiſsimùm, ad motionem muſculorum, per quos hæc actio fit, Quicquid de vſu partium Galenus dixerit, de cuius veritate aliâs. Quæ igitur

Gal.2. de motu muſcu.1. cla. 309.B. ſunt huius actionis inſtrumenta,plura quidem particularia,ſed duplicia genere: eorum enim partim animæ, partim naturæ ſunt. Sed ſpiritu vel interius immanente, vel penitus exeunte naturam, ac animam, ceu principaliori inſtrumento vti palàm eſt,in quibuſcunque quæ expelluntur,procùlque præcipuè: veluti (ſi ab euidentioribus deſumatur initiũ) in eiectione per aluum,per vrinam vteri in fœtu, ſeminis in

coitu

coitu, ſtomachi quum grauatur vomitu, conſimilibúſque omnibus. Nam in omni motione naturali ſanguis, & ſpiritus, concurrunt, qui ſunt naturæ vehicula. Et de ipſa dicebatur anima: Videtur tamen quæcunque ea fuerit, duorum alterum, vel primis ad omnem actionem inſtrumentis ſpiritu, ſanguinéque, præ- tereà calore, tum qui in altero, tum qui in vtroque eſt vti, vel in his ipſis eſſe. Nequaquam itaque quum ſubtilior materia eſt, per ampliorem ſubtiliationem expulſioni, attractionique, ſemper reddetur facilior, ſed contrà potiùs ſe habebit, vtpote quæ diſrumpetur facillimè, imbibetúrque in ductuum locellis, ac muſculorum compreſsioni retrofluet. Et quoniã nonnunquam etiam pharmacum craſsi humoris vacuatiuum exiſtat, non tenuis. Quam ob rem (ſi veluti in naturæ operibus fieri conſueuit, in artis exercitiis obſeruandum eſt) ſubtilior ſuccus vt faciliùs expellatur, attrahatúrque, ad conſiſtentiam propriam per incraſſationem deduci neceſſe erit, ex Hippocrate, Galenóq;: Nam quum ad criſin properat morbus in ſubtiliori materia excretio craſsior quàm optimè fieri debet. Sic Hippocrate in prognoſticis edocente, Corpulenta red-

gal.at. de rhe. aff.di gn. 7.cla. 189.G.

gale.2. de ſimpl. c.3. cl.23.G

Hippo. 2. progn. 7 cl.201.C.

datur deiectio morbo eunte in iudicatio-
Gale.ſup. nem oportet. Expoſuítque Galenus, Cor-
pulenta ſcilicet redditur ſi aquoſa, ac te-
nuis, haudquaquàm corpulenta, duráque
exiſtat, quocirca ſermo eſt de humida ſta-
tim inter initia deiectione. Quin poſt-
Hip. ſup. D. modum ſubiecit Hippocrates, Si aquo-
ſa admodum, aut candida, aut admo-
dum crocea, aut ſpumans deiiciatur, o-
mnia mala ſunt. Et Primo de criſibus Ga-
Gale. 1. de criſ. 4. cla. 131. B lenus habet, Incoctum autem excremen-
tum eſt tenue, & aquoſum, & humoris
expers. Rurſus igitur Hippocrates, Deie-
Hip. 2. pro gno. 4. cl. 200. H. ctio optima eſt ſi mollis, conſtánſque eſt,
& eo tempore ſecreta, quo ſecunda vale-
tudine aſſueuerit, & vt compendio omnia
Gal. ſup. conſimilia deſumantur, excretio Conſi-
ſtentiam obtinet per naturam, vbi non o-
mnino dura fit, quemadmodum lapides:
neque extremè humida, vt diffluere queat:
ſed intantum mollis, quoad conſtans per-
Gal. 4. me tho. 7. cla. 33. H. maneat. Et denique, Quicquid rectum eſt
non in animalibus modò, plantíſve, ve-
rùm etiam aliis quibuſcunque, id ſymme-
tron eſt, mediúmque, & omnis vitioſi ex-
ceſſus expers. Et profectò tum propriis
ſenſoriis experientibus, tum aliorum ſer-
monibus id exprimentibus, fides adhibē-
da eſt in hoc, quod frequens præfert oſtē-
tatio

ratio. nam ſi craſsior decenti, durióryе, ege ſtionis extiterit ſubſtantia dum eiicitur, difficultas egerendi, moleſtiáque contingunt in ipſa. & ſi ſubtilior, incompactiórque, fuerit decenti: frequentes, interiectæque accidunt exurgendi vices, tortiones oboriuntur, triſtiáque in inteſtinis aculea, doloréſque, àtque longior egerendi protrahitur mora. At ſi vniuerſim, & ſæpe deiiciatur, periculum defectionis animi imminet. Quamobrem ſi dictorum Hippocratis, quæ in aliis omnibus libris ſæpe propoſuit, recordêris, debere ſcilicet imitatorem eſſe medicum nõ tantùm naturæ, ſed etiam eorum, quæ quum ſua ſponte veniunt, conferunt, clarè iam ſenis mentem intelliges. Neque aliquo ſcripto (ni reſpectu alio fortaſsis accipiatur) eſt inueniri Galenum prohibentẽ alterationis ſpeciem quę coctrice perficitur vi, & quam proprio nomine maturationem vocamus, in ſubtiliori admodum materia per eiuſdem incraſſationem fieri, neque ſubtilius decenti id amplius ſubtiliari iubentem, ſed generali contrariorum norma itidem fieri ſubintelligentem, connectẽtémq; optimè, perſpicietur. Quòd ſi frequentius diſſecare, attenuaréque, quàm incraſſare præcipiat, id fore dicendum eſt, tum quoniam

Gale. 2. in progn. 4. 201. A.

Gal. 4. metho. 7. cla. 28. F.

crassa, viscidáque, magis rebellia vacuationibus sunt: & tum propterea quòd in discratis ipsis succis aliquis quasi semper inueniatur lentor. Quoniam simul commiscentur omnes, & rarò admodum ex ipsis vllus purus, syncerúsque consistit. Quamobrem & secundo in prognostica dixit Galenus, Vult igitur Hippocrates neutrum humorem syncerum apparere, sed eos inter se quodammodo permisceri. Atque admisti lentoris respectu aduenit, vt subtiliantia frequentius vsui fuerint. Atqui & in causam accipitur, Quod nonnunquam in subtilibus materiis vti dissecantibus videatur, attenuantibúsque, veluti quum in turgentibus quis accipiat occasionem propinandi melicratum, in quo decoctum sit aliquid hyssopi, vel origani, vel tragorigani, vel thymi, vel pulegij, siue quid huiusmodi vim habens humores extenuandi. Atque consimilia omnia authorum dicta sic accipiantur, vt admistum viscidum, crassúmque omnino perspectent, veluti & approbatius, quàm neoterici isti senserint, ab ipso Rasi iis assentitur, Dico satis nobis necessarium est attenuare humores, & dilatare poros, si humores, qui sunt euacuandi fuerint intensè viscosi. Sed si cholerici, & tenues, non indigent hoc

vald

Galen. de diff. mor. 3. cla. 5. G.

Gale. 2. in progn. 4. cl. 20. D.

gale. 1. apho. 24. Ext. 11. B.

Rasis 12. cont. c. 1.

valde, ſed melius erit ſi vnctuoſus fuerit venter, & lenificatus, ante potum medicinæ violentæ laxationis. Quum medicina laxatiua ſi inuenerit inteſtina, & ſtomachum, ſicca, & dura, laxatio erit cum difficultate nimia, & generabit torſionē, & interiectionem lamentabilem, & erit quod purgabit corpus poſt eum plus, & quod adducet de humore nimis, & econuerſo. Similiter non conuenit, vt intenſa fiat lenificatio ventris, quoniam actio laxatiui tunc non erit ſecura; quòd nimis non fuerit in vltimo violentiæ intenſæ laxationis. Et deinceps, Sed Galenus vtebatur ante potum laxatiui regimine attenuatiuo ad incidendum groſsitudinem humorum, & attenuandum eos, & dilatandum poros, vt inde laxatiuum poſsit attrahere humores. Itaque ad oppoſita ſuprà ſic dicatur, Quod ex prognoſticis adductum non aſſentit, vt quantò ſubtiliores ſint ſucci & paratiores ad excretiones exiſtant. Sed huic verè: Quòd de proprietate humorum calidorum ſubtilium in ſubſtantia ſua eſt, vt fiat criſis eorum per euacuationem. Et cætera adducta quæque, ac conſimilia ſublata eſſe facillimè comperietur, hoc quod propoſitum eſt iam accuratè perſpecto, videlicet, Conſiſtentiam illam

In veteri. 3.prog.28

quæ laudatur, in cuiusque humoris specie mediam esse: & subtilem temperatè, ab Hippocratéque, ac Galeno ipso, hanc in quibuscunque dictis suis extolli: quemadmodum & subtiliorem, & crassiorem, decenti hac vituperari. Neque quòd subtilior materia prius excernatur, quàm crassior in causa hoc est, quòd subtilius apparatum sit magis, quoniã sic absq; noxa vacuationis crudorum fieret eductio. Sed id verius, quod per initia modica etiamnũ sit apertio, & imbecillitas, tunc quod tenuissimũ est, miniméque naturæ familiare excernitur. Sed vbi vtraque adaucta est, iam tum etiam crassa, & quæ naturæ familiarissima sunt, euacuantur. Addatur etiam esse Illud minimè ignorãdum, duo esse tractionum genera, vnum quod successiuè ad id quod vacuatur contingit: alterum, quod qualitatis conuenientia fit. aliter nanque aër in folles, aliter ferrum à magnete attrahitur. Præterea successione ad id, quod vacuatur prius id trahi, quod lenius est: conuenientia qualitatis, nonnunquàm (si ita sors tulerit) quod grauius, modò id cognata magis natura sit. Quam ob rem rectè à Principe dicebatur. Et fortasse attrahit grossum, & derelinquit subtile, quemadmodum facit illa, quæ melancholiam expellit

Gale. 3. de simp. medi. fac. 5. cl. 24. G

Gale. 3. de nat. fac. 1. cl. 301. A.

Auic. 4. 1. cap. 4.

pellit

pellit. Nam eam primitus Galenus sic attulerat sententiam, de purgantium medicamentorum facultatibus libro, Libet tamen intereà ex te scire si inter exeundum corpulenta semper ad tenuia sequuntur, cur nigra bilis ante sanguinem exeat, præsertim quum sit eius veluti sedimentum, qualis in vino fex est. Et denique (vt in hoc sistamus) veluti si has præuidisset hæreses, rem istam à neotericis quampluribus collaudatam, contra Rasim consulto damnauit Princeps (esto à quibusdã derideatur) de quorum verbositate, ne insaniam dicamus, Deo fauente aliâs. Adiecítq; ibidem demum, Et esset melius homini huic vt bene opinaretur de illis, qui fuerũt sicut Galenus, & Hippocrates, in eis quæ scripserũt de hoc: aut valde attẽderet, & tunc rediret ad contradictionẽ: quia omnis contradictor primioribus quũ est super veritatem est excusatus. verùm melius esset ei, vt consideraret prius in consideratione sua. & opinor quòd rarò huic viro acciderunt experimẽta, quę profuerũt in hoc capitulo, & acquieuit in eis. Et de hoc tãta.

galen. de purg. medi. fac. 5. cl. 89. G.

Auic. 1. 4. tra. 2. c. 7.

His igitur ita se habentibus, quod primò propositum ex Galeno, tum in penultimo primæ sectionis sæpe citato Commentario adaperitur hac serie, Non

gale. 1. aphor. 24. ext. 11. A.

igitur ob igneam febris caliditatem, purgationem adhibemus, hanc enim ſcimus ſui ratione nocituram: ſed propter humores illam efficientes. quare maiorem oportet ex noxiorum humorum euacuatione fieri vtilitatem, quàm id quod neceſſariò ſequitur ex purgantibus medicamentis detrimentum. hoc verò vt fiat, primò oportet conſiderare, nunquid æger idoneè ſe habeat ad huiuſmodi purgationem: Nam quicunque multa cruditate laborant, vel qui tenaces, & craſſos cibos aſſumpſerunt, quibus itidem ilia extenta, atque inflata ſunt, aut ſupra modum calida, atque ignea exiſtunt, & hoc ipſo in loco aliqua eſt vaſorum inflammatio, omnes hi haudquaquam ſunt apti ad purgationes. hæc itaque abeſſe oportet. humores autem quàm maximè fieri poteſt, eſſe fluxui paratos, hoc eſt tenues, & nullum lentorē participantes: & aperta eſſe foramina, per quæ debet purgatio fieri, & nullam habere obſtructionem. nam & nos iſta anteà paramus, quum quempiam ſumus purgaturi. & eſt, quod ab Hippocrate dicitur in illo aphoriſmo, Corpora vbi quis purgare velit, oportet fluida facere. Tum & hoc illius oraculi in Commentario manifeſtatur videlicet, Ego verò Hippocratem puto

gale. 2. aph. 9. ext. 12. D

non

non minimum id, ſed aliquid maius hoc in loco nos docere voluiſſe, quod nos longa experientia didicimus, ita ſe habere. Si quis enim extenuet, atque incîdat craſſos, atque tenaces humores, qui in corpore ſunt, & meatus aperiat, per quos iſti tranſmittuntur, atque trahuntur à medicamentis, quæ vim purgatoriam habent: tunc purgatio in omnibus rectè procedit. qui verò iſtud neglexerit, & vomitus, atque alui ſubductionem procurauerit, his difficiles veniunt purgationes, non ſine torminibus, & quadam vertigine, faſtidióque multo, & malo pulſu, ac diſſolutione, & difficultate. Quibus accedunt etiam hæc in libello, quos purgare conueniat, deſcripta. Oportet autem priuſquàm purgans exhibeamus medicamentum, craſſos humores attenuare, tenacéſque diſſecare, & meatus recludere, per quos traiici, & deduci queant, ſi purgatio ſuccedere debeat: cùm in reliquis omnibus, tum præcipuè in helleborum aſſumentibus. Vis enim medicamenti, quę diuellit, quum humores affectis membris altius inhærentes excutiat, & ob hoc longis morbis proſit, faciliùs opus ſuum abſoluit prius attenuatis humoribus. quod qui negligent, moleſtas obibunt purga- gal. quos pur. cō. 5. cla. 90. H

tiones. hoc est non sine torminibus, interdum & vertigine quadam, multáque nausea, malo pulsu, exolutione, & difficultate. Et huic intento conformia ipse quoque attulit Princeps. 4. 1. Nam capite tertio, dere-

Auic. 4. 1. cap. 3. liquit hæc, Quod autem magis custodire debemus in huiusmodi dispositione est habitudo cannalium ne ipsi sint clausi, & post hoc quidem totum posibile tibi erit, vt ante maturationem ventrem soluas. Et

Cap. 4. ibi sequenti capite, Veruntamen antequàm ventris fiat solutio, aut vomitus, præmittenda est humoris subtiliatio, qui est euacuandus, & amplificatio cannalium, & ipsorum apertio, quoniam hoc est ex eo, quod corpus à pœna securum reddit.

Cap. 5. Et alio deinceps capite, Iam in præcedenti sermone ostendimus, quomodo sit corpus pręparandum ad recipiendum id quod ventrem soluit antequam purgetur, cum amplificatione pororum, & lenificatione naturæ, & propriè in ægritudinibus frigidis, & ad summum naturam mollificare antequam venter soluatur, est compe-

gale. 7. aph. 59. ext. 61. H. tens regula, in qua existit securitas. Clarescit & propositum ipsum primum ex septimæ sectionis quinquagesimonono Cõmentario iis etiam, Quod quidem igitur semper sit necessarium superfluas corporis

hum

humiditates euacuare, manifestum. Et consequenter Quarto methodi habetur, Ad eundem modum, & quum ex toto corpore humor confluit, totum purgare iubet, nusquàm videlicet in his indicationem à tempore sumens. nam & ridiculum planè fit adeò multas, ac varias, ac sæpe etiam contrarias indicationes ab vna communitate fieri. Et quod promptius obstare videtur ex Hippocrate, id dictum est, Quum verò consistunt, ac vigent, melius quietem habere. Verùm id ac consimilia authorum omnia non alia quàm Galeni de optima secta ad Trasibulum interpretatione claritatem assument, quum dicat, Remediorum applicandorum tempora non ex causæ motione, atque essentia capiuntur: idem enim semper remedium acciperetur, vt quocunque morbi initio sanguinis detractio. Quúmque dixit Hippocrates, Inchoantibus morbis si quid videtur mouendum, moue, in summa enim vehementia quietem habere præstat, non à morbi tempore impulsus auxilia interdicit: nouerat enim morborum initiis facultatem valentem esse, proptereáque remediorum applicationi nõ obstare. sed in morborum vehementia iam flaccescens remediorum

gal. 4. metho. 7. cla. 207. H.

Hip. 2. aphor. 29. ext. 17. C.

galen. de opti. sec. ad Tras. Isag. 28. E

agit

agitationem non ſuſtinet. Itaque non ra-
tione temporis Hippocrates, ſed virium,
auxiliorum adhibitionem denegat. Et
quæ ſequuntur ibidem quamplurima, cla-
riſsimum propoſitum reddunt. Et ſatis
pro ſectione hac ea ſint, Quòd ſi lon-
giora nimis videantur, quòd
rei expoſceret inquiſitio,
noſtra exiſtet tu-
tela.



# POSTERIOR SECTIO.



VOD ſemper dico,etiã nunc proloquar, nimirum perſuaſum me habere,quòd difficillimum ſit ad veritatem reuocare eos, qui ſectæ alicuius ſeruituti ſe addixerũt.verùm qui prudentes ſunt, ſimúlque veritatem ſyncerè amant, eos ſpero cuſtodituros eſſe ea quæ veluti iudicandi inſtrumenta nobis à natura data ſunt,ad actionum vitæ cognitionem,experientiam dico, & rationem. quæ quidem vtraque ex æquo quibuſdam conferunt ad artem,quibuſdam verò alterum altero amplius,& tamen tanquam ſemper ad perfectionem alterum altero opus habeat, ſic ſanè ad reſiduum ſermonis, & doctrinæ huius, abſoluendum progrediar. Falſæ etenim opiniones animas hominum præoccupantes, non ſolùm ſurdos, ſed & cęcos faciunt,ita vt videre nequeant, quæ aliis conſpicuè apparent In ſectione igitur ante hanc ex ſyncera mente conſcriptis de ſingulis vacuationum modis, quibus morbi temporibus fieri habeant ſatis adapertum relinquitur,(prout attamen tempora ipſa in ſeipſis perſpiciũtur),

gale.8. de cõp. med. loc. 5. cla. 194.B

At

Gal. 2. de loc. affe. 4 cl. 13. B

At nunc tempus esse videtur, vt amicos, quorum petitioni obtemperans hos Commentarios scribere aggressus sum, ad exercitationem inducam. Fit autem exercitatio omnis, quum particularia sub eandem viam, & rationem, ducuntur. huiusmodi autem doctrinæ specie (vt persæpe ostendimus) nil aliud inuenitur vtilius: Quippe viæ, & rationes, vbi solæ sine multifariàm secundum ipsas exercitatione cognoscuntur, haudquaquàm possunt perfectos efficere discipulos. Altius igitur viam, & rationem, repetentes ad exercitationis modum accedamus. Et tametsi quæ sequuntur, à quopiam maligno suspecta dici posse conspexerim: tum propterea quòd à me scripta sint, & tum quòd experimentum iudicatum sit fallax. Exercitamenta tamen vnumquenque sua scribere non modò à culpa remotum, sed etiam vtilissimum existimaui, sicut & amico rogantí gratificari. Et potissimùm quoniam hæc ipsa Hippocratis, Galeníque oblectamenta sunt, atque cæterorum ferè omnium peritissimorum medicorum, qui vsque ad sectarum modò exortarum tempora nobilissimè artem tractarunt, perspicuæ obseruationes, in quibus nec vna quidem reprehẽsibilis apparuerit nota, quum

Gale. 8. de anat. admini. 1. cl. 97. E.

exqui

exquisitissimè custodita fuerint. Sed iam ad perspicuæ veritatis theoriã de hac exercitatione accedẽtes, iam hoc primitus proferamus, quòd medicinalis per aluum purgatio, in corpore perfectè sano non conueniat. Nam profectò palam est, Functionibus secundum naturam obeundis sanitatis habitum discerni: Et proinde etiam munus leniendæ alui à seipsa obire naturam, atque præstantiori subsidio nusquàm egere perspicuum esse. Quinimò, Qui bene se habent corpore, difficulter ferũt medicationes. Nam & vertigines, & tormina patiuntur, & difficulter his purgatio procedit, & prætereà celeriter exoluuntur. fiunt autem hæc omnia purgante medicamento proprium quidem attrahere humorem appetente, vel flauam bilem videlicet, aut atram, aut pituitam, aut aquosam superfluitatem. quia verò isti non adsunt sanguinẽ colliquat, ac carnes: vt ex ipsis proprium attrahat humorẽ. Igitur quum impurum corpus sese nobis obtulerit, primitus perpendendum est, an illud ad ægritudines duntaxat procliue sit: an morbosum aliquem affectum contraxerit iam. nam sani quidem adhuc, sed nisi euacuati fuerint ægrotaturi, prçueniẽdi sunt, & ineunte vere inaniẽdi, vel misso sanguine si multitudine

Gale. 1. de tuẽ. val. 2. cl. 61. A.

Hipp. 2. aph. 37. ex. 18. C

Gal. supra D.

Gal. quos purg. conue. 5. cla. 90. F

dine

dine, vel data potione, si humoris corruptela, morbis capi soleat. Verùm in corporibus malè affectis, vel laborantibus, perpensione opus est, an perniciosa omnino ipsa sit passio, an'ne ex salubribus fuerit. In quo enim desperata omnino salus est, impudentis consilij fuerit, apud vulgus infamare præsidia, quæ multis fuêre saluti. Potissimúmque quæcunq; per euacuationem sanationis ansam suppeditare solent. Nam in morbis exitialibus non solùm quando sunt suo vigori vicini, nihil oportet mouere, sed etiam prioribus temporibus. recordantibus nobis, quòd deploratos non oportet curare, sed magis absistere, & morbi fines prænuntiare. Etenim, Quorum summum vigorem excipit mors in his parte artis vtimur, quæ prognostica nominatur, id quod futurum sit prænunciantes, ne aduentus rerum nostro adscribatur errori. Quòd se conualiturum fore non desperetur ægrotum, an citra vacuationem peccantem materiam demutare valeat natura, morbúmque dimouere: an omnino aliqua indigeat euacuatione, scrutandum est. nam vbi sola coctione fieri posse conceditur, nil aptius, quàm quòd illo modo (vt ex antè scriptis plerisque contextibus palàm est) agat natura. Atque parti

gal. 11. meth. 7. cla. 70. G.

gale. 2. aph. 29. extr. 17. G

gale. 1. aphoris. 8. ext. 4. H

partialius etiam dicitur, quòd Quum febres ex humorum putredine oriantur, nõ paruam diligentiam adhiberi oportet, vt quicquid in ipſo concoqui poſsit, concoquatur, & quod iam exuſtum eſt, neq; amplius concoqui poſsit, euacuetur. Verùm præter rem id ſit, quum vbi euacuatione per aluũ perfici cura habeat, nec expediat ſecus, nunc ſit ſermo. Quare quando opus eſt, vt aliqua euacuatio fiat, oportet concocta medicari, atq; mouere, non cruda, neq; in principiis, modò non turgeant. Nam dictum hoc magnum eſt, & ſenſus à ſene illo oculatiſsimo non mediocri obſeruatione perpenſus, atque præceptum (veluti diuiniora decet oracula) perpetua, ſtabiliſſimáque, obſeruandum lege. Et hoc ſiue termino illi (Concocta) terminus ille (Medicari) connectatur tantummodo: & terminus ille (mouere) termino illi (non cruda) applicetur, quemadmodum & ſecundum exemplar Græcum antiqua protulit verſio, & Andernaci concordat tranſlatio de totius morbi temporibus libello, atque Cornarij traductio, & in Aphoriſmo prædicto, & in libro de ſuccis. Siue vterq; terminus ſcilicet (Medicari, & Mouere) copulatim termino illi (Concocta) iungatur: & pariformiter vtique illi termini

Gale. 1. in acu. 7. cla. III. G.

Hippo. 1. Apho. 22. Ext. 10. D

terminos illos(non) (cruda)reſpiciant,veluti acceptauimus nos tanquam & auctori,& Galeno,& veritati,cõformius,tum ex Leoniceno citati oraculi, & libri de criſibus, in interpretatione, tum ex Linacro, quarto de tuenda valetudine, atque ex Vaſſeo quarto de ratione victus in acutis, vertente, dum locus hic bis à Galeno citatur. & denique vt communis ſententia admittit, interpretatúrque. Quanuis quo libuerit modo, vtralibétve nota, ille ſignetur contextus, in veritate nuſquam diuariabit res. Quippe quum ſiue medicamento purgante vacuationem intendamus,quod per terminum(Medicari)ſignificatur, vt proprio hoc loco Galenus exposuit, & ſæpe alibi. Siue omni alio irritamento educere tentemus, quod in generaliori termino illo (Mouere)proponitur, vt primæ oraculorum vigeſimo ab Hippocrate acceptum eſt,ac aliâs pluries. Cuiuſque notationis hic erit ſenſus: Materiæ,quæ concoctę ſunt purgantibus medicamentis ſcilicet mediocribus, & fortibus, educi poſſunt, ac alio quocunque libuerit opportuno irritamento, in quo etiam lenientia per aluum comprehendantur vacuari. Quæ verò crudæ perſiſtunt adhuc, nec purgantibus pharmacis

aliq

aliquibus dictis, nec aliis educentibus irritamentis, etiam lenientibus ipsis, vnquam vacuari debent. neque etiam in principiis, esto in ipsis mouere, si quid moueri debeat, admittatur. Possunt attamen & crudæ ipsæ materiæ euacuari in quocunque morbi tempore, si illæ vt Græcus terminus iste, ὀργᾷ Latinè exponitur, furerent, irascerentúrve, aut stimulauerint, aut res postulet, vel sua sponte concitata id expetant, aut properent & celeriter moueantur ægritudines, vel demum vrgeant, cogant, pruriant, & sic, aut aliter quis interpretetur. Nam si sic & fortiter, & mediocriter educere: alitérque quo libuerit irritamento vacuare concedetur. Huic profectò sic intellectæ sententiæ quicunque rectè senserunt, sentiúntq;, ac sentient, assensère, assentiúntque, ac assentient. Nec eidem absque maximo errore dissentire aliquos à nobis concessum est, cõceditúrque, ac concedetur. Sed vt firmius, exquisitiúsque, res hæc pertractetur tota, atque altius prædicta repetentes clarius absoluamus propositum, rectis omnino iudiciis, diligentíq; præaccepto examine perpendendum est, num nõ absq; maximo discrimine, vel nũc angens sit, vel cum maximo

periculo exacerbaturus diiudicetur morbus, nisi cum euacuatione opituletur medicus, an secus. Atque hoc maximus scopus sit, qui præueniendam purgatione coctionem, prætermittendámve indicet, ac proponat. Quippe si morbus ex exiguis sit, & qui consurgant quales simplicissimæ febres, ac signis firmatæ sicurissimis, ab Hippocrate nuncupatæ: Quoniam Placidissimas natura ægrotationes ocyssimè superat: Totum onus, eiúsque rei negotium omne, naturæ derelinquendum est: atque concoctionem, quæ ipsius naturæ victoria est, expectare conueniet. Quinimo, huiusmodi affectus qui adeò sunt exigui, superatis causis facientibus, ilico firmantur, natura videlicet ipsos sanante. Quippe morbi illi duntaxat externo indigent auxilio, quoscunque præ sui magnitudine natura vincere nequit. Atqui si ex mediocribus, magnísve, fuerit morbus (modò vt tutus, vel citra manifestum terrorem extiterit) in eo maturatio præmittetur, veluti facit rectè imitabilis natura. Secundum eam siquidem oportet coctionem præire, subsequi verò discretionem, & posteà euacuationem, vt absque omni verendo vacuatio procedat. Si verò mor

Hippo. 3. progn. 4. cla. 208. F

Gale. sup. 209. B.

Gale. 1. de de loc. aff. 4. cl. 4. E.

Galen. 4. Aphor. 2. Ext. 30. C.

morbi non citra manifeſtum terrorem ſiut magni, ac quemadmodum Extremos nominauit Hippocrates, vltra quos non ſunt alij, maturata vacuatio quamlibet coctionem præire concedetur. Et hoc eſt, quod in exceptionibus tum in citato famoſiſsimo oraculo, tum in libro de ſuccis, conſimilibus ſeriebus quamoptimè cauetur. Quippe ocyus expedit purgantis medicaminis vim ægrum ſufferre, quàm imminens id, euidentiſsimúmque perniciei ſubire periculum: Cætera autem prout in ſcopo hoc conueniunt, admittantur. Et ſi alio quouis reſpectu, intentionéve, illa ſcripta ſint, ſolummodo quo ad illum reſpectum, intentionémve, & non perpetuò, vera eſſe firmandum eſt. Et ideò licet acutus morbus celeriorem diuturno vacuationem demonſtret, quoniam in acutis materia ſubtilis exiſtens, ac minimè viſcida, nec adhærens, faciliùs ſuperatur. Sedes enim calidior, & mollior, citius ſuppuratur, frigidior verò, ac durior, tardiús. Itidem ex humoribus calidior citius, frigidior tardiús. Quamobrem quæ ſiquidem plura ſunt, ac frigidiora, tenacioráque, & craſſa, longiores faciunt acceſsiones: quæ autem pauciora, & calidiora, ac ſubtiliora, breuiores. Morbi verò

Galen. 1. Apho. 6. Ext. 4. D.

Gale. 2. in progn. 4. cla. 205. G.

Galen. de diff. feb. 3. cla. 42. F.

Galen. 2. Apho. 19. Ext. 14. F.

longi ob crassos, lentos, ac frigidos fiunt humores, qui non facilè concoqui possunt: & in patientibus partibus agglutinati. Et propterea in illis citior euacuatio, ac obsequentius fiat: in his tardior, ac ineptius, perficiatur. Non attamen iccirco, quia acutus hic morbus est, vacuationem ante concoctionē requirit: quia autē diuturnus existit ille coctionem præstolatur, quoniā sic in acutis quibuslibet crudam euacuare liceret materiam. Quinimò in vtrisque, quum timor dictus absit, satius est maturationem præmittere, securámq; eam expectare. Et quæ iam vulgata sunt videlicet, quòd in acutis solùm purgandi est occasio. At si diuturnus futurus est morbus, expectanda semper erit concoctio. In sensu isto vera sunt, quòd non in diuturnis, sed in acutis duntaxat crudam materiam euacuari concedatur, ídque vt plurimúm. Verùm quoniam acutorum non minima differentia est. nam alius Vocetur iam peracutus morbus, qui ad septimum vsque extenditur, qui longiùs procedit, simpliciter acutus, atque hic quoque differentiæ in peracuto memoriæ tenendæ sunt, etenim exactè peracutus is est, qui quartum diem attingit, non exactè, qui ad septimum vsque producitur. Eadem ratione inter

Gale. 2. in 1. pror. 4. cl. 176. D.

Gal. quos purg. cō. 5. cl. 91. C.

Galen. de die. dec. 4. cla. 157. D.

inter acutos, alius exactè acutus, qui adusque decimumquartum porrigitur, non exactè verò, qui ad vigesimum vsque durat, quanquàm & ipse acutus sit: adhuc aliud morborum genus quod ex delapso acutum. Et veluti aliter à Galeno tertio in prognostica illius contextus Commentario, Pari modo in mulieribus iudicationes fiunt à partu, exponitur clarissimé. Dicimus, quòd non in acutis omnibus datur cruda purgari, sed in acutis valde, neque in his omnibus adhuc, sed in quibus vrget affectio. Quamobrem rectè id dictum est Medicari valde acutis, ἢν ὀργᾷ, id est (si vrget) eadem die. Vrget autem quando etiam consimile natura facere soleat: quod & ob partis præstantiam accidit, vt si vel in nobili iam persistat membro, vel ad illud repere timeatur. Et ob affectus magnitudinem, vt quum vel vagans multum inquietet materia, vel multa nimis afficiat. Et ob hoc quòd cacoëthe veluti quando de eradicanti meminimus adapertum iam est. Verùm quum horum quodlibet de per se eueniat raro, omniáque simul rarissime aduniri conspiciantur: recte etiam ab Hippocrate sancitum id est, In acutis passionibus raro, & in principiis medicamentis purgantibus

Hippo. & Galen. 3. progn. 4. cl. 209. F.

Hippo. 4. Apho. 10. Ext. 29. C.

Hippo. 1. apho. 24. Ext. 10. H

tibus vti: & hoc cum præmeditatione faciendum. Et potiſsimum an ob exhibitum pharmacum & febris augeatur caliditas, quæ ſemper ferè continua acutos concomitatur affectus, & ne lędantur admodum vires ad concoquendum reſiduum, quod à pharmaco educi non poterit. Et vt expeditius dicatur, maxime perpenſo hoc, an ab euacuatione illa maior fiat vtilitas quàm id, quod neceſſariò conſequitur ex purgantibus medicamẽtis detrimentum. Conſimiliter & de ſuccorum quantitate ſe habet: nõ enim quia pauca hęc poſt concoctionem vacuatur, illa autem quoniam multa, ante concoctionem educenda eſt. Nam & pauca ſi admodum pernicioſa ſit, aut timoroſa, incocta euacuabitur rectè. Multa autem, ſi non multum lædat, antequàm vacuari debeat, concoquetur. Quòd vacuationem attamen indicet multitudo

Hippo. 2. Apho. 22. ſatis illo oraculo creditum eſt, Quicunque morbi ex repletione fiũt curat euacuatio.

Ext. 15. E. Atque à Galeno ſæpe conſimiliter dicitur,

Galen. 11. metho. 7. cla. 72. D. Itaque tantum ſuccorũ in omni tum corporis temperamẽto, tũ regione, tum anni tempore, tum ſtatu cœli, detrahere par eſt, quantum ſuper naturalem ſtatum fuerat inauctum. Et proinde eſto, quòd ſuccorum quantitas maior in gradu ſuo proportionalem

nalem in pharmacis vacuationem requirat, & ideò maxima repletio maximam euacuationem, atque euacuandi gradum maximum in mediis commonſtret: non attamen quantitas aliqua (tametſi maxima ſit) quantum ex ſe euacuationem ante coctionem præcipiet. Sed ob id, quòd ex maxima illa quantitate malam, ac timoroſam, ſuſpicamur affectionem, admittemus vt ſuccorum incoctorum euacuatio fiat duntaxat, nec fieri conueniat aliter. Itidem neque ob hoc quòd ſuperabundantes humores mouentur, & per totum corpus deferuntur, nondum in aliqua parte firmati, Vacuationem ante concoctionem indicant. quoniam ſic quum ſæpius moueantur humores in affectibus particularibus, ſcilicet ad tumorum loca, & in febribus ad ſedem putredinis ſuccorum, atque quum etiam parum angens materia inordinato moueretur motu, planè ante coctionem rectè fieret vacuatio. Etiam nec ob id, quòd ſunt in aliqua parte firmati, neque alio auxilio mouere oportet, neque medicari ante concoctionem. At ob hoc verius conceditur, vt mobiles incoctæ purgentur materiæ: quoniam in motu exiſtentes ſucci, neque in parte quapiam incluſi, vacuationibus ex ſe obſequantur magis,

Galen. 1. aph. 22. Ext. 10. E.

gis, siue is inordinatus, vagúsve fuerit: siue ad partem quampiam recto feratur cursu. Quinimò mobiles quouis sint motu, nisi
Galen. 1. aph. 22. 5. D. Fastidientes, titillantes, & quiescere non permittẽtes, quum & ipsi pariter moueantur, & transfluant, & tanto motu de loco ad locum ægrum molestẽt, magnum proferant morbum, ante coctionem haudquaquam vacuari expediet. In his etiam, qui sunt in parte firmati, si vel in principalioribus geniti fuerint particulis, vel ad eas recto processerint cursu, ideóque timorem inferat morbus, & ante coctionem peccantem materiam euacuare conueniet. Hoc igitur vnum sit, quod confestim euacuandam dictet materiam, cõtráve, scilicet ma-
Galen. 1. aph. 12. Ext. 5. G. gnitudo morbi. Nihil autem confert, si etiam in vehementia dixeris, quia hæc duo nomina apud Medicos vsitata, & sæpius ea de re eadem pronuntiant: Quare non cessant febrem magnam vel paruam, vel mediocrem, omnes nominare quæ suam ha-
Galen. 6. aph. 5. Ext. 48. E. Galen. 4. meth. 7. cl. 25. E. bet cum caliditate substantiam. Quin & Nunc illud dicere volo tum ipsam morbi siue vim, siue magnitudinem, appellare velis, pro indicatrice quadam sanguinis detrahendi, vel purgationis adhibendæ statuendum esse, tum verò Hippocratem omnium, quos meminimus primùm indi-
cation

cationem adinueniſſe. Veruntamen vt ante cõcoctionem, vel poſt eam, rectè euacuetur, coindicantia ſe proferunt penſitanda. Coindicãtia autem voco: Virtutem, Naturam, Aetatem, Anni tempus, Regionem, & Conſuetudinem, & ſi quid id genus alia. Nam hæc profectò ita ad ſeinuicem conſentiunt quandoque, vt nihil diſtrahatur quod queritur, nonnunquàm verò adeo reclamant, vt etiam intenti finis executionem obtundant, impediántque. Sed nunc ad pẽſum rurſum redeamus, in paruas ſummas compendij gratia rem omnem cogẽtes. Medicatoriæ indicationes à morbo ipſo ſumuntur à corporis temperamento, & tertio ambiente nos aëre, ꝙ ſi aliæ quædam anteà ſunt poſitæ, vel poſteà, non hæ modò, verùm aliæ dicentur. omnes tamen ex his in partes diductis natæ videbuntur. Variatur enim medicatio pro diuerſis cauſis, Aetate, Locis, Anni temporibus, Habitibus, ac Diſpoſitionibus, Moribúſque, & conſuetudinibus, Temperamentis, Senſus facilitate, & difficultate, Partium differentiis, poſitionibúſque, aliíſque id genus quampluribus. Quamobrem opus eſt optimum medicum diligenter id noſſe, quod eſt ſecundum naturã. Verùm nunc de eorũ ſingulis non eſt propoſitũ perſcrutari fuſa ſerie,

Galen. 13. met. 7. cl. 85. A.

Galen. 9. metho. 7. cla. 60. D.

Galen. de dign. & me. 7. cla. 190. E.

ſerie, quemadmodum ſe habeant in ſcopo: ſed de his potiſsimùm intendimus, quæ ſubſequentur. Quippe ſi incendens ſit febris (veluti concluſarum quæpiam ſunt) aut ſi cum primario morbo magnum adſit febris incendium, vacuationem in libellulo de purgantibus medicamẽtis Hippocratis hæc intercipit ſcriptio, Quicunque igitur à febribus fortibus corripiuntur, his medicamenta purgantia dare non oportet, donec remiſerit febris: ſin minus, ſaltem non infra quatuordecim dies. Atque iuxta id, Secundo de morbis habetur, Si verò febris die, noctéque, non remittat, tactúque ſuperiora calida habeat, ventrem autem, pedéſque frigidos, lingua autem aſpera ſit, medicamentum huic ne dato, ſed molliter ſubluito. Secus attamen adueniet, quum febrilis ita non vigeat calor, & magis quum intermittens ſit febris. Nam de fractis libro ſcribitur ab Hippocrate, Quare ſi ſine febre ſit ſupernè, ſicuti dictum eſt, purgato, quíque continua febre non laborant. Si verò continua febre laborarent, ne purgato, potionatóve. Tametſi in commentario eius loci ob veratri noxas illius exhibitionem vereatur Galenus his ſcriptis, Iuſsit nunc eodem die, vel poſtero, dari veratrum prius, quàm

Hippo. de pur. med.

Hipp. 2. de mor.

Hipp. 1. de fract.

Gale. 2. de fract. 7. cl. 231. B.

videl

videlicet aut partes affectæ inflammari, aut homo febricitare incœpisset: quinetiam si febris anteuertisset (modo leuiter afficeret) eodem modo exhibendum esse censuit. Nos autem ne febre quidem vacuo dare veratrum audemus. Cur autem in magnis febribus, conclusísque ardentibus potissimùm, vereantur purgationes, ex iam dictis pleræque causæ sunt, sed potissimæ duæ hæ satis sint. Altera, quòd Quæ circuitum non habent, in his nulla est corporis pars, quæ præcipuè sit offensa, sed qui in venis, & arteriis omnibus continentur humores, atque hi præsertim qui in maximis, ac plurimo calore abundantibus sunt. Et ideò pharmacum earum exquisitissimum remedium non est: sed venæ sectio præsentissimum auxilium censetur. Altera causa est, quòd quum magna febris caliditas angat iam ægrum, etiam à pharmacis amplius eius excandescentia fieret, siquidem, Maior eorum portio quum calida siccáque facultate sit, febrem adauget. Igitur quum infrigidatio ei potius sit remedio, rectè verenda sunt pharmaca in his continuis: Maxima verò continentium febrium remedia hæc duo sunt, Detractio sanguinis, & potio frigida. Sanguinis detractio vt

Gale. 2. de diff. feb. 3. cla. 43. F.

Galen. 11. metho. 7. cla. 70. D.

Galen. 9. metho. 7. cla. 58. E.

ob mat

ob materiam, frigida potio vt ob qualitatem. Sed in febribus intermittentibus, quoniam ſucci extra venas putreſcunt, & qualibet inuaſione deſinente ſucci putreſcentes ſuperati ſint, & iccirco illa magna, continuatáque caliditas non vigeat: purgatio admittitur magis, quum in tempore infebricitationis, abſque caloris fomento fieri queat. Quinimo ſatis conſpicuum eſt, etiam Hippocratem in concluſarum initiis præcepiſſe purgationem, ſi vehemens non excandeſceret incendium febris, vt ex tertio de morbis libro iis perſpicuum eſt, Primis quidem diebus ſubter purgato, & aquam propinato, quæ plerunq; vomitum cit, poſt purgationem madefacito, ſorbeto, vinum dulce potato. Si verò per exordia non ſumas, ſed iam in lingua his ſignis exiſtentibus, dum iudicationes, criséſve tranſeunt, ſinito. Igitur etiam in his febribus, eò quòd in principiis leuior ſit febris, non omnino prohibetur purgatio. Itidem in partialibus morbis cum febre, veluti & Galenus ita aſſenſit, Quum igitur febris vehemens non fuerit, naturámque laborantis expertus fueris, ad medicamenti purgantis potum te conferes his, quæ ab Hippocrate ſcripta ſunt, vel etiam aliis ſimilis naturæ

Hipp. 3. de mor.

Gale. 2. in acut. 7. cl. 118. B.

vſus. Atque in aliis morbis alibi ſenſit itidem, vt inſertum alia ſectione fuit, Itidem ſymptomata adnuunt nonnunquam, perſæpe etiam prohibent, nedum in euacuatiuis auxiliis, ſed & in curatione tota. Ac ſi nullum quidem interim vehemens incidat ſymptoma, prohibeátque quo minus auxilia ab initio morbi ad finem ita procedant, celerrimè finietur febris: ſin tale quippiam incidat, quod totam ad ſe curationem reuocet, neceſſe eſt ſeriùs adueniat curationis finis. Siquidem quod ita interuenit omnino vel cõtrarium eſt remediis, quæ antedictum cauſarum affectuum, & ſymptomatum ordinem ſanat, vel omnino nihil ſaltem confert. Eſt porro horum triplex differentia: alia nanque ipſius corporis ſunt affectus, alia functionum offenſæ, alia hæc ambo comitantia, ídque tum excrementorum exceſſu, tum in his quæ in ipſo animali eduntur ſeminibus, tũ etiã in reliquis, quæ ſenſibiles ſunt diferẽtiæ omnibus. Ex prædictis verò tribus actuũ quidẽ offenſæ ſi cõtriſtãt, ſolicitudinẽ medici ad ſe cõuertunt, affectúmq;, deſerere cogũt, idẽ facit eorũ quę retinentur, vel expelluntur exceſſus, at genus ſymptomatũ, quod in affectibus conſiſtit, alterius quidem, quàm curare oportet, affectus eſt

Galen. 11. metho. 7. cla. 71. B.

Galen. de ſimpt. dif. 3. cl. 11. C.

Galen. 12. metho. 7. cla. 75. O.

ſignum. ipſum tamen nullam ſeorſum curationem exigit, vtpote cum affectu vnde naſcitur vna ceſſans. Vt enim in ſumma dicam, nullum ſymptoma, qua ſymptoma eſt, nec curationis rationem indicat, nec
Gal.1.art. curati.7. cla.98.D. primum immutat. Proinde neque ſi fuerit febris cum profluuio ventris, alia eſt opus euacuatione, verùm hæc ſola ſufficit quanuis non ſit pro multitudinis ratione: quicunque enim his plus adimere fore neceſſarium putantes, aut ſanguinem mittere, aut ventrem mouere tentauerunt, in
Gale. ſup. grauiora pericula duxerunt. Ita etiam ſi vehementiſsimæ vigiliæ, aut dolor intenſus, ægrotum infeſtent, cauendæ ſunt ſubitæ, ac multæ vacuationes. Nec ſecus de corporis temperamento & de habitudine, & de ætate, ſentiendum. Siquidem ipſa quoq; temperamenti interuentu indicationem
Galen. 9. metho. 7. cla.61.D. Gal.ſup.E. præſtat, veluti puerorum, quæ quum humidam, & calidam intemperiem habent, facilè digeritur. Ergo puerorum ſubſtantia facillimè digeritur, & diſsipatur, propter eà quòd eſt omniũ humidiſsima, nulla verò frigidior, quo minus vacuantis præſidij eget, quum habeat ex ſeipſa vnde naturaliter vacuetur. Non prætereundum attamẽ
Gale.5. de tuẽ. val.2. cla.91.C. hoc, Quippe primum, quo omne remediorum conſilium dirigitur, eiuſmodi in-

tem

temperies corporis eſt, non ſenium, aut ætas aliqua: verùm quoniam affectuum naturam per coniecturam accipimus, icirco ætatem etiam conſideramus. Ab ambiente quoque nos aëre, tempore, conſtitutione, atque regione, hoc ipſum conſpici eſt. Nam ad eundem modum & ambientis proprium, pro natura ſua nomen eſt aër, relatum tamen ad nos alias auxilium, & ſanitatis cauſarum vna efficitur, aliâs iis contrarium, nempe morbificarum. At quoniam aëri tum ex præſenti cœli ſtatu, tum anni tempore, tum regionis natura, ſiue in humido, ſicco, calido, & frigido, mutationes accedant, ex illorum rurſus vnoquoque aliæ particulares indicationes oriuntur. Igitur ſub Cane, & ante Canem, difficiles ſunt medicationes. Quod libello de purgantibus medicamentis ita ab Hippocrate commemoratur, Iuxta eandem rationem & tempore æſtatis à canis ortu per dies quinquaginta vitare oportet, & non dare medicamentum. Has igitur omnes indicationes memoria habere oportet in quacunque particula morbo affecta. Nam & ipſius temperatura, & formatio, & ſitus, & virtus, ſingulas quæ in nobis ſunt operationes commutant, communi intentio-

gal. 11. metho. 7. cla. 68. F

Hip. 4. aph. 5. ext. 29. A

Hippo. de purg. medi.

gal. 2. art. cur. 7. cla. 103. F

ne ſeruata: hanc enim ex morbo ſemper aſſumendam eſſe diximus. Verùm non perpetuò coindicantia ipſa diuariant curationis ſcopum, Sed propriè duntaxat quando ad vniuſcuiuſque eorum exceſſum maximum abierint, & id ita eſſe cōſpicuo ſatis dabitur, ſi quis adductarum ſerierum diligens examinator deuenerit. Quin etiam dignoſcetur nec horum quodpiam intercipere auxilia conuenientia, ſi maius quid indicans, coindicantiáve quamplura, præualuerint. Nam vbi conuenerint, bene eſt. Vbi verò ſecum pugnauerint indicatioues aliquæ, ſuperius comprehenſa methodo ad ea quæ agenda ſint inuenienda vtendum eſſe: perpenſis ſcilicet earum, quæ indicent tum magnitudine, tum dignitate. oſtendimus enim eligendas eas indicationes eſſe, quas digniora, maioráque indicantia præſcribent, ac dignitatem earum, vel vitæ, vel ſanitatis reſpectu iudicandum. Et in his adductis fortaſsis exiſtimabitur coindicantium numerum pertinentium ad hanc rem eſſe. Iam totum vt cuique videatur admonitum, non tamen re vera ita ſe habet, nam quoddam maximum etiam inter hæc omnia, breue tamen dictu, nondum ſcriptum eſt

Galen. 11. metho. 7 cl. 69. C

gal. 1. art. cur. 7. cla. 97. B

quid

quidnam hoc est, morbi quantitas ac virium. res quæ ad eam explicandam vno indiget verbo, ad vsum verò permagna. neque enim bene prænoscere possumus, nisi horum singulorum magnitudinem diligenter pensitemus. nam vtrum morbus sit exitialis, an non, & quando magis debeat mori, aut sanitati ægrotus restitui: nisi omnia, quæ dicimus, diligenter animaduerteris, ad duo religens capita, ad ipsius scilicet morbi magnitudinem, & ægroti vires, non poteris verè prænoscere. Attentus enim semper duobus his medicus est, velut obluctatoribus, nempe morbo, & naturæ. Ac primùm quidem euadendum, vel pereundum homini esse ex robustiore dignoscendo diuinationem facit. Nã (vt in vniuersum dixerimus) in omni vacuatione vires ægroti oportet attendere, & donec tolerat, & nõdum laborant, tentandum est humorẽ exuberantem educere, quum verò dissoluũtur etiam si restent superfluitates cauere oportet earum euacuationem. A virium indicatione proxima est, quæ ab affectibus quos curare proponimus, datur, posteà deinceps reliqua: Quicquid igitur indicationi, quã vires præbent, aduersatur, id secundi est loci, ac posterioris iis, quæ illa præci-

gal. de cõsti. art. medi. Isago. 41. D.

gale. 1. aph. 3. extr. 3. H.

gal. 9. metho. 7. cla. 60. C.

piunt. Quæ verò cum his quæ viribus conducunt, in idem competunt, hæc vtrunque calculum referunt: & eorum quæ primæ (vt ita dixerim) & eorum quæ secundæ, ita quòd hæc citra cõtrouersiam sunt facienda. Quæ verò aduersantur, aliquando administranda prorsus non sunt, aliquando paulatim. Quippe si quem curare studes affectum, is vacuationem requirit, vires autem extrema imbecillitate laborant, toto illo tempore quo vires reficimus eorum, quæ affectum sanãt, nihil planè ægrotanti exhibebimus. vbi verò eò roboris peruenisse eas conspicimus, vt nihil vel parum ex vacuando sint lędendæ, tunc ad affectus quoque curationem accedendum. Verùm consentire omnia, aut pleraque, aut digniora, detur: profectò solummodo in illis citatis maximis morbis, ante concoctionem materiæ purgare licebit. In cæteris autem vel acutis, vel diuturnis, vel multa, aut modica extiterit materia, vel mala satis, parúmve, vel quouis modo mobilis aut aliter, siue vniuersales sint morbi, siue partiales, semper post cõcoctionem vacuandæ materiæ vacuandũ est: aliter autem quàm concocta sit, nequaquã. Et id vniuersalem & aphorismi, & libri de succis sentire asserimus scriptionem: Et hoc

hoc siue purgationem, quæ duntaxat vacuationis gratia fiat, vel eam quæ ob retractionem solummodo, vel quæ simul & ob vacuationem, & retractionem, sistendámve fluxionem moliatur, intendat medicus. Purgat nanque eadem vi in succos agens datum pharmacum quocunque modo libuerit intendatur. Et profectò quoniam mos est ei, vt φαρμακεύειν, id est medicari, non de omni medicamenti exhibitione intelligat, sed de eorum tantùm, quæ purgant: Igitur & alias, & eam quæ fit per sputa euacuationem humorum facientium morbum lateralem, solet Hippocrates purgationem, ac repurgationem nominare. Nempe corpus impurum, excrementosúmque, quod vacuatur, iure optimo expurgari quispiam pronuntiauerit.

gale. 2. de fract. 7. cl. 231. A.

gale. 5. aph. 8. ext. 39. E

gale. 4. in acut. 7. cl. 136.

Vt pro purgationibus vacuationes dicantur, præstat nempe quum excerni contigerit, quæ corrupta sunt, purgatio est corporis: quum verò excernuntur quæ vi morbi fiunt, vacuatio. Etenim nomen id (Vacuatio) atque id (Purgatio) reuulsioni, deriuationi, ac propriè, vacuationi, quæ per aluum ducentia fiunt medicamenta, communia sunt. Desiderant enim ægri hanc non modò, vt quod noxium superuacuum, quo vrgentur, educat, sed etiam

gale. 3. in 1. proret. 4. cl. 184. B.

gal. 4. meth. 7. cla. 28. B

vt quod tum ad diuersum trahat, tum vacuet. Veluti in calce fracto Hippocrates Veratrum exhibet, non solùm vt excrementitios humores euacuet, verùm etiã retrahendi, atque auertendi causa. Quamobrem in reuulsione attrahendi ex omni loco ad oppositas partes indicatio est ad quàm maximè distantia. Sed Deriuationem sanè appellare consueuit Hippocrates, quando succus aliquis euacuationis indiget, neque per conuenientem regionem fieri incœperit, neque tamen valde procul à conuenienti, neque ad remotissimam. Et in omnibus illis, scilicet reuulsione, deriuatione, & euacuatione, consimiliter procedet eductio. Quamuis à quibusdam in eorum scriptis mandatum sit, quòd quum reuulsionem intendimus, liceat crudam purgare materiam, quoniam reuulsio causarum remedium est, & ad præseruatiuam medicæ partem spectat. quum autem deriuationem, & euacuationem expetimus, coctionem expectari debere, quum morbi curationi hæc ipsa attineant. Sed hi primùm quidem docendi sunt, quòd de nominibus litigant, deinde quòd neque de hoc ipso rectè. vbi nanque causa non adest quæ morbum efficiat, hîc sola curatio factorum relinquetur: vbi verò

Gale. 2. de frac. 7. cl. 230. G

gal. 3. art. med. Isago. 74. A

Gale. 2. in 6. de mor. vul. 3. cla. 154. A

gale. 2. aph. 22. ex. 15. F

verò ea, quæ ineſt corpori diſpoſitio, nondum aliquid facit, veluti quæ plethora, id eſt plenitudo vocatur, hoc ad præſeruatiuam artis attinet partem, ſi eiuſmodi cauſæ deſtruantur. quum verò aliquid agit, miſtum eſt huiuſmodi opus ex præſeruatione, & curatione. Nam quod facturæ erãt cauſæ illæ, prohibitum eſt fieri, & hoc ad artem pertinet præſeruatiuam: quod verò iam factum eſt, ex morbo propriam exigit curationem. Et quemadmodum in partialibus affectibus dictum eſt, ita proportionaliter in febribus ipſis ſe habet, quippe, Diariarum quidem febrium, & hecticarum vera, & propria curatio eſt: earum verò, quæ ex putreſcentibus excitantur humoribus, vocata curatio, προφυλακὴν quoque ſibi adiunxit, cuius officium eſt cauſam, quæ morbum creat, adimere. Sanè nominatur hæc ipſa quoque artis pars, curatrix, quia vtique ab ea quæ ſyncerè prophylactice dicitur, in eo diſtincta eſt, quòd ſub hac iam ſenſibiliter ex ipſa cauſa morbus eſt genitus, in prophylactice verò eſt futurus. atque nominibus quidem prout quiſque vult vtatur. Hoc in ipſis affectibus cuſtodito, quòd in exordiis partialium affectuum cõſimiliter vacuationéque reuulſionis gra- gal.11.methо.7.cla. 69.A

tia ſit fluxus ad partem inhibetur, veluti & in febribus ipſis putridis ſuccus exiſtens in corpore non putridus cũ educenti pharmaco ſubmouetur ſecundum exigentiam etiam ab initio primo confeſtim, ne ad putredinale calidum labatur. Quinetiam ſi duntaxat vt antecedens remoueatur cauſa, vel gratia fluxionis cohibendæ, ne partialis morbus augeſcat, rectè fieri euacuationem concedatur, præter quod ſecundum Aſclepiadem à Galeno redargutum fiet dogma, nihilominus vacuatione perfici curationem, tum ex antedictis quampluribus, tum & iis vincetur, Supponamus enim ante alia hoc in ſermone, antecedentem niſi quis abſciderit cauſam, fieri non poſſe, vt qui factus curetur, ob ídq; ipſum Aſclepiades morbos à plenitate incipere exiſtimat, ægríſque adiumento huius eſſe euacuationem ait, petítque curationem à medicis perfici, non morbos, quos plenitudo faciebat, ſoluentibus, ſed ne augeatur prohibentibus. Supponatur tamen cauſam morborum continentem interdum eſſe plenitudinem, neceſſe ſtatim eſt, vt huius euacuatione tollatur morbus. Sed his omiſsis vlterius ita dicamus, Fluentium igitur humorum retractio (ſic enim Hippocrates nominat) eorum autem, qui iam

gal. cont. ea. quæ nul. ext. 70.H.

gale.2.ar. cur.7.cla. 102.H.

memb

membrum obſederunt, deriuatio medela eſt. vtrunque autem euacuationis genus per communes venas fieri præcipit.& ideò quæcunque earum intendatur, Quæ ducere oportet, quò maximè natura vergit per loca conferentia eò ducere. Et id in his quæ iudicantur, palam eſt. Sed quòd quando retractionem molimur, per loca conuenientia (ſicuti agit natura) fieri habeat id argumento eſt, quòd quibus in febribus aures obſurduerint, ſanguis ex naribus fluens, aut aluus turbata, ſoluit morbum. Quamobrem Quinto methodi Galenus ſcripſit, Ita nanque & natura facere ſolet, Mulieri enim inquit Hippocrates ſanguinem vomenti menſes ſuperuenientes remedio ſunt. Hac igitur de cauſa ſi vel menſes confertim eruperint, vel ſanguis ab vtero quoquo modo profluxerit, ſurſum reuelles cucurbitam maximam ſub mammis defigens, nam & hoc Hippocratis inuentum eſt. eandem ob cauſam quum è naribus ſanguis erumpit, id retinent maximæ in præcordiis defixæ cucurbitæ: infigendæ autē ſunt, ſi ex dextra nare profluit ſuper iocinore: ſi ex ſiniſtra, ſuper liene. ſin ab vtraque nare, ſuper vtroque ſunt imponendæ viſcere. Medicum autem eſſe naturæ miniſtrum, primariámque eſſe natu-

Hipp.1.aph.21.ex.10.C.

Hip.4.aph.60.ex.35.A.

gal.5.metho.7.cla.30.E.

galen. ad traſib. 2. cl.102. G.

ræ artem, ac ritæ celebre esse dictum illud, Natura in omnibus auxiliatur, naturam morbos iudicare, naturas morborum esse medicatrices, à priscè sapientibus abundè: quid igitur superuacuè repetam? Sed sunt quædam Naturæ, quædam medico negata. Os adeò fractum, vt diuaricent eius particulæ, peruersúmque membrum sit, corrigere, ac conformare naturæ non licet, at medico licet: sed luxati reponendi medico adest facultas, Naturæ etiam adest. contrà cauum vlcus carne implere, Naturę datum est, medico minimè: quemadmodum & semicoctorum, & incoctorum quicquam concoquere, verùm & in hac quoque adminiculatur, opitulatúrque Naturę medicus. Attamen, Naturæ vis ad ea quæ animalibus conducunt, rectiùs præstanda, qualibet arte præstantior est. Igitur & in ipsa retractione Natura agit ob medicamentum à medico exhibitum coadiuuata. At primum auxiliorum naturam, quàm quæ ex vsu venit, non ignorare opus est, ipsa nanque per se auxilia causas extirpare nequeunt, sed naturæ adminiculum requirunt, & fermè solum impetum, motúsque initium naturæ iniiciunt, reliqua natura per se administrat, ac perficit. Et ideò, non contra naturam retractio censen

da

gal. de cō sti. art. medi. Isa. 39. B.

Gale. 5. in 6. de mor. vul. 3. cla. 181. B

galen. de opt. sect. ad tra. Isa go. 29. A

da est, fluentiúmve succorum sistio. Expedit igitur medicum qui Hippocratis arte dignus futurus est, si quid aliud hoc certè persuasum habere experientiam iudicare naturam rem quãdam esse ordinatam, & quum materiam superauerit proportio nibus quibusdam definitis, & periodis ordinatis, motione ipsius fieri. at quæ præter rationem incidunt, aliquando, ordinémq; confundunt, tunc ipsi obueniunt, quum nõ plenè materiam vicerit, sed impeditur ab ea, prohibetúrque, suis proportionibus moueri. Quum itaque accidat, vt quicunque propter fluxiones fit morbus, aut à naturæ vi proueniat, quod superior natura existat materiæ: aut à materiebus ipsi naturæ valde prædominantibus: aut à natura materiæ ipsi oppugnante quidem, sed nõ adhuc plenè resistente, non æqualiter in omnibus repellere conueniet. Scire nanq; oportet, nunquid à natura cõcocto morbo, aut vexante humore adhuc crudo, ex vno mẽbro ad alterum dilapso abscessus obortus sit, consimilísve partialis affectus. Si nanque à natura vincente prouenerit, profectò vel ad conuenientia loca fiet transmissio, vel ad ignobiliora. sed aberrabit quandoque, scilicet quum exquisitè, ad libitum non diriget succos, quoniam

Gale. 2. de die. dec. 4 cl. 153. B

Gale. 2 in 6. de mor. vul. 3. cla. 155. H

con-

contumacesſunt. In eis igitur ita obſer-
gale. 1. aph. 21. ex. 10. D uandum erit, Oportet nanque medicum naturæ motum animaduertere, & ſi quidem idoneus fuerit ei, conuenit adminiculari: ſi verò contrarius, & noxius, hunc prohibere, transferre, atque diuertere, oportet. Si igitur à natura ad conuenientia loca tranſmittuntur ſucci, non eſt vt eos reuellat, repellátque, ex tertiodecimo methodi quiſpiam rectè ſentiens medicus, ídque de parotidibus argumen-
gale. 3. de cōp. med. loc. 5. cla. 151. B to, Parotides è genere quidem ſunt inflammationum, fiunt autem glandulis circa aurem affectis, non tamen prima parte curationis partium inflammatarum in eis vtimur. in illis enim curatione reprimente, ac repulſoria à medicis appellata vti conuenit. Tantum enim abeſt, vt
gal. de reme. para. fac. 7. cla. 150. G reprimamus influentem hîc ſuccum, vt contrà è profundo in ſummam cutem euocandi ſit ſtudium nobis, niſi fortè vehemēs fuerit, ac copioſus humoris influxus. Itidem ſi in vilioribus membris fuerit affe-
galen. 14. metho. 7. cl. 87. G ctus, Quippe quum ſi vel ſanguis ipſe abundet, haud tutum ſit ex minoris notæ membris fluxionem eius repellere. Po-
gale. 2. de nat. hu. 1. cla. 36. E tius enim fit partibus principalioribus emigrare prauos humores in ignobiliores, quàm ex ignobilioribus in principes.

Iam

Iam enim non raró quum in membro articulari, & podagra, artus humores peterent, & illic repulſi in principem aliquam partem inuaſiſſent, morte conſpeximus hominem affectum eſſe: vnámque reſtare ſpem ſalutis, ſi ad artum retrahere eos valeamus. Quemadmodum igitur hoc loco conſuluit, ita & in aliis te aduertere iubet, ne quod ex membris ad quæ materiam retrahis magni nocumenti diſcrimẽ adeat. Et in iſta duntaxat reuulſione, quoniam profectò contraria operi naturæ omnino exiſtat (ſi ita operetur inſipiens curator) Naturam non habebit operi illi adminiculantem. Et demum non hæſitandum eſt in purgatione quæ etiam ob reuulſionem fit, ſi vt expedit ea moliatur, Naturam coagere, maximéque profuturam iri. Quòd qui ſecus ſentiat, naturales negligat facultates. Itaque de quibuſlibet vacuationibus quæ cum purganti medicamento fiunt, Hippocratis præceptum id, Concocta medicari, intelligi oportet. quoniam ſiue reuellere, ſiue prohibere, ne fluant ſucci (quæ magis partialibus conueniunt affectibus) ſiue ne ad morboſam malitiam labãtur humores, inhibitio protendatur, aut & concoctorum expulſio (quę etiam in febribus intenduntur) ſemper ſic

Gale. 2. in 6. de mor. vul. 3. cla. 158. H

ſeſe

ſeſe proferat veritas. Neque ad febres, febriléſque duntaxat affectus, ac phlegmonas, coarctandus eſt aphoriſmus, propter id quod in locis quampluribus ſi ſine febre ſit morbus, mandentur purgationes, inhibeantur autem, quum afficit febris: Quemadmodum quum bilis vis multa in corpore continetur, ſæpius facile ſit, dum febris abſit, eam ipſam euacuare. Sic quum ante acuta correptus febre homo fuerit, difficillimum id redditur. neque enim licuerit abſq; periculo purgãte tunc vti medicamẽto. Ad eundẽ modũ de pituita, déq; ſeroſis excrementis, exiſtimandum. Etenim à febribus moleſtari dicebant antiqui illos, qui abſque inflammatione, vel abſceſſu, vel eryſipelate, vel vt ſimpliciter dixerim, abſque alio membro præcipuè affecto, ægrotabant. Quòd ſi propter lateris inflammationem, vel pulmonis, vel talis partis alterius, febricitarent, non febricitantes ipſos nominabant, neque à febribus moleſtari dicebant, ſed pleuriticos, aut peripleumonicos, & aliis ſimilibus nominibus. Volentes febrem ipſam non eſſe morbum, ſed caſum morbi. Si taliter nanque coanguſtatio fieret oraculi, vltra quòd vniuerſalis aphoriſtica diſtrahitur dignitas, dilapidatúrq;, cui attamen nec vnquam ipſem

gal. contra, quæ ad Iul. ex tr. 7 r. D

gale. 4. aphor. 73. ext. 37. A.

gale. 7. aph. 24. ex. 59. C

ipſemet abrogauit autor, nec ipſe Galenus locorum aliquo conſentit, quinimò aliter ſeſe exercuiſſe vtroſque prætactum eſt. profectò ſequeretur, quòd in partialibus quibuslibet aliis morbis, vigente in quacunq; materiæ particula cruditate, ſemper vacuationem cum fortiſsimo quo libuerit eradicanti pharmaco fieri concederetur. Cui & rei veritas ipſa experimentis diſcuſſa, & ſcripta hæc Quarti de victus ratione in acutis plurimũ aduerſantur, Obſeſſa inflammatione hypochondria. Atque inflammationes aliæ, & ſuperiores ſepto dolores, membrorúmq; collectiones quas σύστροφας dicunt, ſolui nõ poſſunt, ſi quis primum purganti vti medicamento aggreſſus fuerit. nam venæ ſectio in his præferenda venit, deinde clyſmis eſt opus, ſi vehemens, & magnus fuerit morbus. Si verò non, & posteà medicamenti opus ſit, ſanè id poſt ſanguinis miſsionẽ, ſecurè, & mediocriter, porrigendum. Neq; ſatis reſponſum eſſe prædictis arbitramur, ſi quis coarctantium aphoriſmum obiecerit ex nuper deſcriptis contextibus minimè tolli fortem purgationem in principiis, ſed abnegari duntaxat purgationem ante ſanguinis miſsionem fieri debere. Nam equidẽ ex poſtremis contextus verbis illis (medio-

Hip. 4. in ac. 7. cla. 136. E

criter

criter porrigendum) conuincendum fuerit, vt ſaltem præpotenti pharmaco nuſquam vacuatio patretur, & ex ſequentibus, conſimiliter quòd tota cruda materia fieri poſsit, abnegabitur: cùm habeat, Quicunq; ea, quæ inflammantur ſtatim morborum inter initia medicamento ſoluere conantur, ij non ſolùm ab incenſa, inflammatáque, parte nihil adimunt, cùm non cedat, obſequatúrque, quæ adhuc cruda eſt affectio, verum quoque & quæ morbo aduerſa, & ſana ſunt, abſumunt, contabefaciúntque, ductóque ad imbecillitatem corpore morbus ſuperior euadit, qui vbi corpus vicerit, remedium non habet. Hęc autem & quarti oraculorum primo, & primo de criſibus à Galeno veluti veriſsima accepta ſunt: & de helleboriſmo ad Democritum ab Hippocrate commemorata.

Hip. 4. acu. 7. cla. 137. A

Quinimo ſcriptionibus aliquibus ab autoribus, quos inſequimur, ſi humores in partiali quocunque ignobili mēbro clauſi fuerint purgationes ante humorum coctiones nunquam admittuntur, ſed potius fieri prohibentur. Neque profectò quoniam partialis affectus eſt, pharmaci noxæ quas ad crudorum euacuationem conſequi diximus, deliteſcere par eſt: Sed continuò quum idem exhibeatur phar

mac

macum, & æque diſpoſita concedatur materia, non diuerſificabitur actio. nam incommoda illa vel vtrobique contingent proportionaliter, vel nullibi afficient, in hoc vno inter illos maxima differentia exiſtente, Quòd quum febris abeſt, ſecuriùs id exequimur: ſed ſi afficiat etiam febris, periculoſius perficitur. Cuius ratio ea eſt, quòd quum abeſt febris, ſolus eſt partialis morbus, ſed ea exiſtente duo afficiunt morbi, & præterea, quòd vbi febris adeſt, ob pharmaci etiam calidi exhibitionem, & febrilis morbi excandeſceret feruor. Ex parte tamen pharmaci, materiæque, æqualis continuò progredietur actio, proportionalitérque (vt dictum eſt) proſilient noxæ illæ. Nam in omnibus inflammatis particulis humorum impactio, quæ locum bene difflari prohibet, ſtatim quidem humores putrefacit, ſimúlque caliditatem quandam excitat, qualis & in reliquis omnibus putreſcentibus oritur: huius igitur caliditatis modus quum ſimplex fuerit, earum alicui, quas iam diximus, febrium neceſſariò aſsimilatur, vel potiùs (ſi verius velimus dicere) vna ex illis eſt, vel ad amaram bilem, vel ad atram, vel ad pituitam attinens. Rectè igitur Gale.6.de criſ.4. cl. 139.H.

tur aſſentiendum eſt oraculo latiſsimè ſerpenti, quemadmodũ & rectè citra coangustantiũ gloſſematũ notas oculatiſsimus in eius expoſitione interpretatus eſt Galenus, reſcripsítq; Quarti oraculorũ primo Cõmentario, ac quos purgare conueniat tractatu, necnõ octauo de compoſitione medicamentorum ſecundum locos optimè ita recenſuit, Porrò ad inflãmationem habentes non ſimpliciter, in omni inflammationis tempore dandum eſt, ſed vbi cõcocta fuerit, & declinauerit. Sed quid planius circa huiuſcemodi rem deſiderandum eſt, ſermone hoc, Hunc expoſuimus, quum Aphoriſmum illum exponeremus, Concocta medicari, & mouere: atque in eiſdem quibus nunc ſymptomatibus. Et deinceps libro eo, Sed quod Hippocrates recenſuit, eſt exequendum: nam vel ſtatim ab initio prius, quàm in partem aliquam confirmentur humores, medicandum, vel poſteà quũ ad maturitatem perducti fuerint. Quippe pertinaciter adhærentem parti carnoſæ humorem, aut craſſum, aut glutinoſum educere, laborioſiſſimum. nam quum ex vaſis etiam laxis iis haud promptum ſit ſordes expurgare facile id ſcilicet in carnoſis partibus exiſti-

Gale. 8. de cõp. med. loc. 5. cla. 198. C.

Gale. 4. in acut. 7. cl. 737. B. Sup. 143. E.

Gal. cont. ea quæ à iul. Ext. 71. E.

mab

mabitur. Itaque quandoq; prius quàm humores locis afficiēdis inſederint euacuari poterunt, & tanquam vacuationibus obſequentiores, & tanquam à morboſa malitia non correpti. Non ſic autem euacuandi erunt, quum in affectam corporis partem deuenerint, firmatíq; conſederint. nam & vacuationibus ſunt cōtumaciores ob ſitum, & inibi propter extraneam, præternaturalémque cauſarum alterationem, cruditatis aſſumpſère veſtigiū, nec ab ipſa natura tunc temporis deuicti ſunt. Vnde perſpicuū apparet eoſdem in ſedibus affectis alia coctione, maturationéve, indigere: poſtquam ſecundū exigentiam propriam, euacuationum aliqua deligenda erit. Et hæc ob eos duntaxat ſcripta ſint, qui perperam Aphoriſmum coanguſtare nituntur. Sed ad propoſitū rurſus redeuntes iterum, atque iterum admonemus, firmamúſque, vniuerſalia & libri de ſuccis, & Aphoriſmorum appoſita præcepta ſibi vndique conuenientia, perpetuò vera, ſempérque demum obſeruanda eſſe, Dicimúſque quòd nulla quæ hactenus à nobis ſcripta ſunt, aut ſcribemus, (ſi æqua animi lance penſitata fuerit) ab hac ſententia deuia reperientur. Quinimo ex ipſis vtile quis habere commune po- Gale. 4. in acu. 7. cla. 139. F.

test, quòd scilicet corporis purgationem prorsus vitare oporteat, quum in humoribus adest cruditas: Vel omnimoda indigestione existente humoribus. Nisi de furentium illorum fortasse fuerint numero, de quibus quoniam latissimè dictum est, non amplius tradere propositum existit. Nam de illis in posterum habere sermonem intendimus, in quibus aut medicus, aut ipsa Natura nequaquam cogitur. Cur autem eos purgare haud velit, in quibus summa inest cruditas, causam recensuit epilogisticam magis, quàm analogisticam, ille author quum dixit, Nempe si ventrem moueris, vrina non maturabitur, febrísque citra tum sudorem, tum iudicationem, in longũ protrahetur tempus. Et profectò huic consimiliter se habet modo, si in eodem homine reliqua eadem sint, cæterùm in lasso corpore sanguis bonus exiguus sit, crudi humores plurimi, huic nec sanguis mittendus, nec alui deiectio, aut exercitatio, aut omnino motus, aut balneum adhibendum. Quippe incîsa vena bonum sanguinem emittit, malum, qui in primis venit circa iecur, & quod mesenterium vocant, colligitur, in totum attrahit corpus. Deiectio verò in talibus tormina, & rosiones creat:

In veteri. sup.

Gale. 4. in acut. sup. H. Hip. sup.

Gal. 4. de tuẽ. val. 2. cla. 82. H.

creat, animíque deliquia, cum eo, quòd nec notatu quippiam dignũ educit, quando crudi omnes ſucci, pigríque, atque admodum inepti propter craſsitudinem frigiditatémque ſunt: quo fit, vt etiam omnes anguſtas vias deſtruant, per quas id quod medicamentum deiicit, ferri ad aluum debeat, itaque nec ipſi educantur, & aliis ſint impedimento. Id quod ſanè Hippocrates illo oraculo præcauit, quo breuiſsimè præcepit, concocta medicamentis tentanda eſſe, non cruda. Quotiens igitur tota materia cruda fuerit in affectibus non cogentibus, vel acutis, vel non, nequaquam vllo educenda eſt pharmaco. Verùm vbi in quandam materiei partem actio celebrata eſt (ob coctionem quam continuò fieri præſcriptum eſt) ſicuti illa cocta portio fuerit modica, aut plurima, ita proportionati ſecundum gradus medicamento vacuanda erit rectè. Quoniam igitur cuncta medicatur, ob id & nunc ita ſcripſit libri huius autor, Quibus principio vrinæ & nebuloſæ, & craſſæ exiſtunt, hos annuentibus cæteris purgare conuenit: quòd ſi vrinæ inter initia tenues fuerint, tales non purgabis, at ſi videatur, clyſterem exhibebis. Et hoc ita ſit, ſiue quiſpiam interpretetur

Gale. 4. in acut. 7. cl. 139. G.

Hip. ſup.

vrinas eas eſſe in principio quod vſque ad quartum extenditur diem, in quo & augmentum & status, & declinatio, comprehendantur, licet eius loci leuiſsima interpretatio ſit, quoniam nil aliud artificioſum inde acciperetur, quàm quòd in primis quatuor diebus ſi morbus iam declinauerit, purgatio fieri poſsit. Sin verò crudus in quatuor illis diebus perſeuerauerit, nuſquam admittendam eſſe purgationem. Siue eas vrinas in principio illo intelligatur, prout etiam augmentum velociter & occultè, perueniens ipſi principio connexum eſſe videtur, quemadmodum Galenus & in libro de quatuor temporibus morborum vniuerſalium, & Primo de criſibus expoſuit, ac in eo loco interpretari viſus eſt. Siue eas demum in vero morbi principio reperiri dicatur, veluti infraſcripta lucidè declarant, quandam debilem coctionem in humoralibus febribus, & in vrinis etiam à principio
Gale.1.de diffe.feb. 3.cl.34.E. conſpici poſſe, videlicet: Maximum & harum febrium indicium exiſtit cruditas vrinæ, debilis etiam coctio proprium etiam eſt indicium febrium, quæ humorum ſequuntur putredinem. Atque, huic etiam febrium generi vrinæ primæ vel omnino crudæ, vel debiliter coctæ, principiò

cipiò associantur neque vnquam magnum, aut effatu dignum concoctionis indicium in huiusmodi febribus in primis vrinis apparet, si exceperimus eam quæ ex ephemeris febribus permutationem, de qua à nobis anteà dictum est. Neque id, de quo paulò antè attigimus, contra hæc adduci valet, scilicet quòd Morbi vniuscuiusque proprium est generationis tempus interim sensui manifestum, interim secus: Nam sæpe prior accessio principium simul habuit, & ascensum, & vigorem, scilicet in prima sui parte principium, deinde ascensum, postremò verò statum seu vigorem, deinde secunda accessio manifestè videtur declinare. Quemadmodum fortassis cauillando adduci posset contra hæc, Inter autem omnes tertianas illa simplicissima est, quæ quum omnia illa nuper à me dicta exquisitæ tertianæ signa commonstrauerit, in vrinis etiam subsidentiam & leuem, & æqualem statim in primo fecerit. Atque, Iterum igitur ad institutum reuersi dicamus, si quis primo die acuta febre infestetur, nullum autem periculosum signum ipsi adfuerit, sed in vrinis aliqua concoctionis nota inuenta fuerit, non extra quartum diem

Gal. sup.

Galen. de to. morb. temp. 3. cl. 87. D.

Gale. 1. de cris. 4. cla. 128. A.

Gale. 2. de cris. 4. cl. 136. G.

Gale. 1. de dieb. decre. 4. cla. 12. F

morbus ſoluetur, Et alia conſimilia. Nam illa de vero morbi ſonant principio, cuius profectò finis non arguendus eſt ob debilem coctionem manifeſtò apparentem, cuius modi eſt craſſum, & ita permanens lotium, atque rubentem confuſam nubem habens, etiam coloris illius, & ſubſtantiæ permutatio, nam hæc & conſimilia dicuntur ſigna manifeſta coctionem occultam in morborum initiis fieri ſolitam oſtēdentia. Verùm alba ſecreta nubes, ſuſpenſúmque æquale, continuum, album, manifeſtæ coctionis manifeſta indicia ſunt, eorúmq; apparitio principium iam finitum eſſe commonſtrant, & inde augmentum cepiſſe. Sicuti rectè ex primo de criſibus dicebatur, Debilis autem coctio eſt, quando ex aquoſa mediocriter ſubpallida facta fuerit, & quidem ſi turbulenta apparuerit, & talis permanſerit, hæc quoque occultæ, & debilis coctionis eſt ſignum. & rufa etiam, ac tenuis, ex eodem genere eſt : Sed nihil horum iam principium eſſe finitum oſtendit, hoc enim manifeſtius indicium ſemper expetit, vel Solam nebulam albam, aut ſuſpenſionem æqualem, continuam, atque albam, & quidem rubens nebula, & ſubſidentia talis, & ſine ſubſidentia bene colorata vrina, &

Gale. 1. de criſ. 4. cl. 134. A.

na, & craſsitudine mediocris, principij finem manifeſtat, Non tamen etiam ſi mediocriter craſſa fuerit, & breue quicquam, quod ſubſideat, habuerit, iam concocta erit. Et nempe fieri poteſt, vt quadamtenus de morbi ſalubritate, inſalubritatéve, prognoſticum offerri poſsit, ex notis imbecillam, occultámque coctionem patefacientibus, veluti & Primo de criſibus, quum de vrinis agitur, & ſputo, ſecundum Hippocratis prognoſtica, & libro de decretoriis diebus ad calcem adaperuit Galenus, necnon fusè in Commentario oraculi illius, Quibus ſeptima die iudicatur ad ſalutem, Sed demum, Meminit autem nubis rubeæ, tanquam ſigni perrari, albæ enim frequentiſsimæ apparent, & ſunt ſignum coctionis manifeſtum, rubeæ verò rarò fiunt, & niſi hoc in loco de ipſis dixiſſet Hippocrates Quod in diebus indicantibus apparentes futuram nuntiant iudicationem, fortaſsis nemo talem ipſis adeſſe vim expectaret. Veruntamen non omnis vrina craſſa occultæ concoctionis eſt ſignum. Nam quum triplex ſit turbidarum vrinarum differentia (quia vel quum tales emictæ fuerint paulò pòſt reſident, vel ſemper ſimiles permanent, vel puræ quidem minguntur,

Gale. 1. de criſ. 4. cla. 132. A.

Galen. 4. aph. 71. Ext. 36. F.

Galen. 1. de criſ. 4. cla. 131. D.

postea verò conturbantur) praua quidem, ex dictis tertia, bona autem prima, media verò inter vtranq; secunda. quoniam prima statim quidem residet, parum quidem aliqualis turbulentiæ superesse demonstrat. quæ verò semper manent similes vigere adhuc, quæ in sanguine agitationem ostendit, quæ verò extra conturbatur, debet incipere concoqui, quare & longiori tempore, & virtute forti indiget ad concoctionem. Itaque altero modo crudus esse morbus significatur per tenues vrinas, vt etiam per crassas, vbi non subsistant. quæ verò non subsidunt vltra flatuosam turbationem crassitudinem esse crudorum humorum significat. Siue igitur interpretetur nebulosas indiscretam nubem habentes, quæ propriè principiis conueniunt: Siue impræsentiarum vrinas nebulosas oportet audire eas, quæ albas habent nebulas, quæ concoctionis notæ existunt. Et quæ propriè per morbi accrementum eueniunt, satis liquet, quòd antequàm tota materia concocta sit, vacuari liceat. Nam ex prima interpretatione etiam in veris principiis, ex secunda in augmẽtis ad minus, iuxta materiæ concoctæ mensuram semper vlterius procedentem: veluti continuè fieri manifestat in vrina suspensum.

Gale. 1. in 3. de mor. vul. 3. cla. 125. A.

Gale. 4. in acut. 7. cl. 139. G.

ſum. Nam quod exquiſitè coctum, ſecretúmq; eſt, æquale ac ſimilare, vtpote nullum habens flatum in fundum deſcendit vaſis vrinam continentis. quod verò permiſtum eſt aëreo quodam, ac vaporoſo flatu, id ſubductum ab eo, quod proportionale ſit quantitati ſubducentis, minúſque, & magis ſurſum fertur. Effici etiam coctiones materierum continuò ſcilicet partis poſt partem, prima huius negotij ſectione, dictum eſt: Nunc autem idipſum in intermittentibus febribus eluceſcere magis aſſerimus, atque in heterogeneis morborum materiis: veluti quæ in ſtercore putreſcente eueniunt commonſtrant: in quo non tamen continuò huiuſmodi caſus perdurabant, ſed in die qui ſequebatur, quicquid ſuperiori die ad ſummum feruoris peruenerat, refrigerabatur. Quod autem huic continuum erat, dum prima pars quæ calorem conceperat in ſummo eſſet feruore, ipſum interim paulatim ſuccenſum mox priori ſe feruore remittente, iterum incalebat, atque putreſcebat. Et ea de cauſá in tertiana febre ſcribitur, At illa quum humorem habeat accenſum opportunum, & facilè, ſubinde propter ſubtilitatem quicquid ex ea deferbuerit, totum in acceſsione expurgatur, ad puriorem

Gale.2. in progn. 4. cl.203. D.

Gale.1. de diff. feb.3. cla.33.E.

Gale.2.de diff. feb.3. cla.37.G.

rem quandam infebricitationem termina re videtur. Et in quartana consimiliter, Atque iccirco in hoc humore copiosiores sunt euacuationes, quã in pituita: ac intermissio pura videtur, quoniam & hîc quicquid atræ bilis fuerit accensum, exhauritur, atque dispergitur. Itidem in intermittentibus omnibus fieri ex sexagesimo tertio quartæ sectionis oraculorum Commẽtario elicitur. Verum in conclusis febribus, atque in homogenea materia (quę rarissimè attamen inuenitur) non ita perspicuus est huiusmodi succedentis coctionis modus. Quod enim retro attulimus exemplum de stercore, quod particulatim putrescit in animalis corpore, nõ admodum fieri posse videtur, quum putrescentes humores his qui putredini vacant, possint facilè commisceri, vtpote ex omnibus ad omnia confluxu, & conspiratione existente. Vnde fieri nõ potest, vt putredo nũc vnam, nũc aliam, occupet partem, nisi inflammatio incipientẽ putrescere humorẽ alliget, atq; coërceat. Et quòd in intermittentibus potius quã in conclusis citiores admittantur purgationes, in causa fortasse est, quòd in intermittentibus materia quæ qualibet accessione mouetur in ea etiam concoquitur accessione, vincitúrq;, ac secernitur: in

Gale. sup. 41.B.

concl

conclusis autem non sit, & potissimùm, quum homogeneam materiam fore concessum fuerit. Nihilominus & in conclusis tam vniuersalibus quàm partialibus, vel materia homogenea ponatur, vel à natiuo calore non æqualiter alteretur: fieri coctiones citius in quadam materiei parte, quàm in alia, ex illis quæ post prædictum contextum Secundo de febrium differentiis scribuntur, palam est, sæpéque alibi. Nec id ab re venit, quandoquidem & ipse Galenus Aristoteli pariformiter cōsentiat. quemadmodum concoctio elixationi sit similis: Clareátque admodum in illis, quæ elixantur illas ocyus elixari portiones, in quibus vigorosius ob propinquiorem calorem illius imprimitur actio (etiam si homogenea sint) Nec secus in fructibus se habeat, in quibus neminem latêre debet melius illas maturari portiones, quæ naturali solis calori potius offerūtur. liquabilia quoq; metallorum genera id haud abnegant, ac deniq; omnia quæ vel coqui, vel maturari, vel cōsimiliter eliquari conspiciuntur. quamobrem iuxta eorum sententiam dicebatur, Illud deinceps scire conuenit, particulam non prius eam, quam attraxit materiam vel ipsam totam, vel aliquod eius excremētum abiicere, quàm vel ipsa,

Gale 3. de fac. na. 1. cl. 196. G.

gale. sup. 299. A

vel eorum quæ in ſe continet pars maxima in contrarium tranſierit affectum. Atque de egeſtionibus in prognoſticis ſcribitur, At verò leue redditur, quicquid de corpore excernitur, aut quòd habeat æqualem concoctionem, vt nulla eius pars effugiat naturæ alterationem, aut propter vehementem conſumptionem, vt nulla materiæ pars imperpeſſa ſuperſit. Et de vrinis, Id enim ſæpiſsime euenit, vt aliquis emittens vrinam ſecunda die inculpabilem, alteram ſequenti nocte culpabilem emittat: deinde rurſus inculpabilem tertia die prima luce, poſteà veſpere culpabilem. in tali enim vrina alius cõcoctus deuictúſque, à natura conditus in conceptaculis humor, alius incoctus apparet. Inſuper de ſedimento, Particulares verò in eo differentiæ pro virtute concoctæ materiæ, vitióque non coctæ exiſtunt. Et deinceps, Quum itaque & ſimul maior pars talium humorum fuerit euacuata, ſimul autem & reſiduum concoquitur, tunc excernuntur multò prioribus tenuiores. Itidem in artis operibus conſpici eſt in tumoribus, quorum maturatur materia: videre etenim ibidem liquet partim concoctam materiam, partim incoctam: quum etiam ferro is diſſecetur tumor.

Galc.2. in progn. 4. cla.201.E.

Gale. ſup. 202.A.

Gal. ſup. E

mor. Vnde & de illis dicebatur, Eorum quæ in corporis partibus perſpicuis ſuppurantur, ſi talia in parte pus habeant, in parte reliqua materiam, nullum curatu facile eſt. Et id etiam clariſsimè adducta de totius morbi temporibus oſtendit ſeries, vbi de declinatione ſic habet, Reſtat verò in ea modicum humorum adhuc qui concoctionem exquirant. Et demum diminuta criſis id oſtendit: quoniam in ea parte ſolummodo, quæ concocta eſt, tunc fit iudicium, & reſiduum incoctum in conſequenti tempore illius criſis perſpicuè remanet concoquendum, diiudicandúmque deinceps, Et ad id attinens clariſsimum Anaxionis exemplum ſæpiſsime circunfertur, & veluti norma adducitur, atque id genus pleraq;, quæ in libris vulgarium morborum colligere eſt. Quòd ſi totam materiam fore homogeneam admitteretur, calorémq; natiuum eam omni ex parte pariformiter alterantem, tũc ſubinde totã æqualiter concoqui admitti poſſet, quod nunquàm fermè accidere ex præſcriptis apertum eſt. Quamobrem in iſta duntaxat materia homogenea, vacuationes, & mediæ, & fortes ad decrementum vſq; ceſſare conſentiretur. Et vt interdum flumina ſiſtant, paucíſque abſoluamus, rei

Gale. ſup. 105.B.

Galen. de tot.morb. temp.3.cl. 86.F.

eiuſm-

eiusmodi veritas in tali cardine consistit, quòd ita sit. Rursus etiam ad institutũ reuertentes vt firmius intentum à nobis consilium accipiatur, etiam, atque etiã, repetimus. Quod vt congruè noxius succus vacuetur, semper in materia supponi debet coctio, & concoctæ portionis ratione, proportionéve, & medicamenti tam qualitas, quàm quantitas metienda venit, idipsum in operibus artis obseruantes, quod à natura & à symptomatibus irritata, & quũ ipsa sese operetur, sponte fieri consueuit. Equidem in veris affectuum, initiis debilis admodum materiei fit coctio, proindéq; modica pars euincitur. cuius in causa datum est, quod ab insultu morbi perterrita, oppressáque naturalis facultas, non vehementer superet materiam, ideóq; tunc temporis, naturæ iudicatio rarissimè cõspicitur, aut nunquam, vel furẽs est, quum cruda totaliter omnísque, ea fuerit materia. Quinimo, quũ perturbatio efficitur similis, nullo à natura ad infestantium excretionem facto apparatu, tunc perniciosissimum est signum. Verùm quum in augmento validius agat natura, pugnétque manifestius, tunc maior pars, quàm in principio palam excoquitur, & hac morbi tempestate asserimus firmiter fieri posse crises

gale.2. in acut.7. cl. 122.D.

port

portioni concoctæ materiæ respondentes, solummodóque ab optimis crisibus tantò perfectionis distantiores, quantò materia ab exquisitæ coctionis distat perfectione. Quoniam & sola concoctio crisis celeritatem, & salubrem securitatem ostendit. Et de statu deinceps dicitur, Et crisis optima in illo fit, atque omnium crisium ipsa est regula: quæ enim huic proximior est, altera magis distante potior est. In statibus autem, & præsertim prope eorundem finem, quum natura quæ perfectè pugnam arripuit materiei prædominetur iam, & iudicationes optimè fiunt. Nam diximus optimas crises in statibus fieri, in augmentis verò si salus sit subsecutura vel non perfectas, vel non securas. Proinde proportionales huiuscemodi crisibus vacuationes, medicamentáque vacuantia, proportionaliter singulis morbi temporibus admittentur. Quapropter quamuis lenientia medicamina omnibus morborum ætatibus vsurpentur, præcipuus tamen eorum vsus principiis conuenit: nisi fortè prænominata coctio, quæ in principio fit, perinde sese proferat effabilem, vt & aliquantisper diminuentia medicamenta liceat propinare. Sed potissimùm in augmentis congruunt minuen-

gale.3. de crif. 4. cl. 142. G

gal. sup.

gale. sup. 145. A

tia, eáque ita vigorosa, vt concoctæ materiæ portioni proportionata sint, eadémque in morbi vigore, eiusdem videlicet præsertim termino. At præpotentia, exquisitiúsque ducentia pharmaca, in morbi declinatione, feliciúsque absoluto iam morbo, congruè suggeruntur. omniáque ex prudentia in quouis morbi tempore ad vigentiora eligentur, veluti eorum vnumquodque à principio per medium ad proprium finem procedet. Vnde & amplius scitu dignum esse asserimus, indicationem à coctionis ratione desumptam ab ea, quę sumitur à virtute, alienã esse. Quinimò vicissim in proposito discrepare omnino. quando indicio à concoctione percepto, non in principiis; sed deinceps pro variis temporum gradibus vigentiora medicamina subministrentur. verùm indicatione à virtutis scopo quum in principiis vigorosior ex Galeno sit illa vis, qua indigemus præcipuè, sed morbi successu imbecilla reddatur, purgationes in morborum initiis admitti videntur, sed in successu adusque morbi decrementum, in statibúsque potissimùm, interdici. Et in hoc sensu ab Hippocrate dictum est,

Hip. 2. aphor. 29. ext. 17. G.

Quum morbi inchoant, si quid mouendum videtur, moue: quum consistunt, ac

vig

vigent, melius eſt quietem habere. Atque eo loci à Galeno, Quorum nihil oportet morbo iam conſiſtente adhibere, Gal. ſup.

Neque attamen in omni ſtatus tempore ſemper abſtinendum eſſe ſtatuimus. Verùm ſi innoxiè adhiberi poſſet remedium, id planè fieret. Et quanuis ſubiiciatur, Sed non ita habet: ſiquidem remedia quum imprimis omnia præter naturã ſint neceſſariò & facultatem adhibita vexant, ſecundò quum naturalia morboſis cauſis permiſta ſint, in recidendis cauſis nihilo minus bonorum, quàm vitioſorum detractio fit. Hæc & Galeni ex aphoriſmis nuperrime ſcripta, atque in eiuſcemodi ſenſu cætera conſentientia (de quorum firmitate aliàs) non vt ſemper, ſed vt plurimùm, vt vera ſint, intelligi debere profamur. Dictum autem eſt vniuerſalium quædam perpetuam quandam habere virtutem vſúmque, alia verò vt plurimúm. Nam profectò & ſæpe perſpici eſt ita vires in ſtatu perſiſtere, vt ab adminiſtratis vacuationibus non læderentur, ſed in ſuo vigore perſeuerarent, & in eiuſmodi vacuationes fieri poſſe congruas conſentimus. Verùm in acutis morbis nunquam fermè id exequendum dicimus, & præſertim vbi naturam mouere, criſímque

Galen. de op. ſec. ad tra. Iſag. 29. A.

Gale. 4. in acut. 7. cl. 142. D.

gale. 3. de dic. dec. 4. cl. 160. D.

proximè futuram esse iudicetur, quum in illis naturæ motum, crisimve præstolari satius fuerit. Præuenire autem crisim, quod Hippocrates προεκρήγνυσθαι, quasi dicas prorumpere, appellare consueuit, malum est: nam idonea simul cum his quæ lædunt excernuntur. Fitque hoc natura irritata vel ab exteriore quodam, vel ab his quæ in ipso corpore detinentur. extrinsecus autem est medicus, qui parum rectè quid fecerit æger, famuli, atque alia, quæ propriè exteriora nominantur, in ipso corpore offendunt morbi ipsi, eorúmque causæ, & accessiones. Et profectò licet huiusmodi quæ antecedit crisis, à perfecta eò deterior sit, quòd ante tempus irritetur natura, cogatúrque non simpliciter, attamen aut praua, aut bona, nuncupanda videbitur. Nam non equidem est bona simpliciter, quoniam ab ea, quæ simpliciter bona, & statuto tempore prouenit, deficit perfectione. Nec certè mala simpliciter est, quoniam si constantibus, vt dictum est, viribus eueniat propter eam ad meliorem statum procedit ægrotus. Nam re vera semper particula secundum temperamenti, quod ei frequentius inest, agit proprietatem: verùm aliquando rem grauantem sustinet,

gale. 5. de loc. aff. 4. cl. 36. E.

ac longo temporum tractu eam vincit, conficit, alterat, & concoquit. Rursus alio tempore rei infestantis vel qualitatem, vel multitudinem, ferre non valens ad ipsius excretionem insurgit, quemadmodum interdum vbi magna afficitur molestia ipsam rem molestantem deiici certè cupiens, viribus grauissimè prostratis, ob imbecillitatem, id efficere non potest. Rectè ideò dictum hoc est, Si quando autem certans prius fatigetur, quàm quæ infestant profligauerit, fit enim hoc vel ob virtutis imbecillitatem, vel causæ magnitudinem, necessariò mors sequitur. Prætereà si etiam non admodum imbecillis natura fuerit, ast mouens aliquantisper ab operis complemento defecerit, eidem tunc auxilia suggerere congruo fiet. nam optimè à Galeno dicebatur, Neque enim si quod paulò antè sit iudicatum hoc nouari non debet: sed si perfectè, indesinenter, & integrè, tunc verum quod dicitur. Si verò quicquam deficiat, id quod deficit, oportet adiungere: nam quæ post iudicationem relinquuntur, faciunt recidiuas. Atque si coniiciatur minimè moueri debere naturam, nulláque iudicatione terminari morbum (veluti accidere sæpius nemini dubium ap

Gale. 2. de simpt. c. 3. cl. 24. C

gale. 1. aph. 20. ex. 10. B.

paret) hora motus eius, & fine ſtatus potiſsimum moueri poterit. Quanuis in acutis propterea quòd propinquiſsima declinatio aduentet, eam declinationem expectare eligibilius fuerit. Sed in diuturnis paſsionibus etiam in intermedio ſtatus tempore euacuari poſſe conceditur rectè, quoniam in illius ſtatus prolixitate adiutoria ſibi ipſi fieri natura appetit, id inſinuans ex ſuimet pleriſque diminutis vacuationibus. Et profectò (vt exemplis liceat vti) in quatuordecim annorum quartana, cuius ſummus vigor cæterorum temporum analogia adeò protelari debet, vt anni ſaltem durationem abſumat, mirabile videretur quippiam, ſi in toto ipſo vigoris tempore nullum ſaltem mediocriter purgãs exhiberetur pharmacum. Ob quam rem de eius curatione dicebatur optimè, Et ſi coctionis morbi indicia apparuerint, tunc purgare oportet iis, quæ humores atros exinaniendi vim habent, non ſemel tantùm, ſed ſæpius, ſi fuerit neceſſarium. Igitur in omnibus id genus affectibus, atque in acutis prę nominatis (modò vires nuſquam aduerſentur) etiam in ſtatu vacuationes fieri canonicè poſſe concedamus. Verùm quæ abſoluto iam morbo fiunt purgationes, ad pręſeru

gal.1.art. cur. 7.cla. 98.A.

seruatiuam medicæ partem magis specta-
re dicitur, quàm curationi attineant: tunc
etenim casus omnes morbi desierunt. Sed
& curationi deseruiēt verè eò quòd vt quę
relinquuntur in morbis, recidiuas non fa-
ciant, perhibeantur potissimùm: & pręci-
puè quum prioribus temporibus multa
existente materia morbus per naturales
vacuationes alleuiationem, quietémve nō
fuerit consecutus. Et quanuis secundum
coctionis gradus in singulis morbi tempo-
ribus vacuationes eis proprias admiseri-
mus. Dicamus etiam, quòd non semper
ea, quæ per purgantia medicamenta fit, su-
perfluitatum euacuatio, conueniens est. nā
valde indigentibus, & per longa interual-
la, vtilis est. Ideóque in omnibus illis
obseruandum esse vt omnia quę per aluum
educunt medicamenta quibuscunque tem-
poribus (quoad fieri potest) omittantur.
Quod si fieri nequeat; vt non propinen- gale. 3. aphor. 15. Ext. 23. E.
tur, faciliora pro posse, eligenda esse.
Purgantium autem nomini hîc aduenire
dicimus humores elicientia proprios:
Quæcunque siquidem purgare animad- gale. 5. de simp. medi. fac. 5. cl. 39. A.
uertimus, ea trahendi vim possident, alia
vnum quempiam succum, alia duos, alia
etiā plures, & id illis inter sese cōmune est.
Sub quo nominę & casia, & tamarindi,

& myrobalanæ,& prunæ,& consimilia pleraq; humorẽ respiciẽtia proprium (quamuis & leniendi vim habeant)purgantia affirmamus existere.Igitur ceu rectissimum perquirendum maximè est omnibus viribus,vt irritata à medicamentis effugiatur eductio.nam quãuis pleraque ab omnibus educentibus fieri comperiantur incommoda,veluti stomachi subuersio, nausea, tristis dolorosáque ventris sensatio,non leue etiam malum hoc existimabitur illis.Quibus vtiq; nõ minimè proritatur febris ex desurgendi frequentia. Quòd si etiã rosio, aut dolor,aut calor immodicus in ventriculo,& intestinis sit,hinc vtique; vel longè magis affectio febrilis increscit.Sed maximè hæc ab euacuantibus fortibus prouenire conspectum est. Proinde, quum purgantia omnia medicamenta ventrem, præsertímq; os ipsius,quòd maxime tum neruosum, tum sensile existat, affligant, lædántque: ob id etiam quæ boni sunt odoris,mistio excogitata est,ne sola,synceráq; purgautium medicamentorum virtus os ventris tangat.Ptæterea & fortia coctionibus aduersantur, tum ob alia, tum quòd lenire,mulceréque,maximè indigent, quæ concoquuntur, maturantúrque. Quòd si hæc coctioni humorum conferant, purgation

gal.8.metho.7.cla. 53.G

gale. 2. in acut. 7.cl. 118.A

gale.4. in acut. 7.cl. 140.A

tiones contrariæ existunt. Insuper & caueri huiuscemodi purgationes debẽt ob hoc, quòd nempe purgantium omnium medicamentorum natura, corporum quæ expurgantur, naturis contraria est, atque vt quispiam dixerit letalis, aut deleteria, id est pestilens. vt autem succi papaueris, mandragoræ'que, & hyoscyami, atque aliorum huiusmodi multorum, quæ nobis & substantia, & viribus, aduersa perimere nata sunt, portionem exiguam adsumentes, magnam percipimus commoditatem: sic & purgantium medicamẽtorum quorum natura corporibus nostris aduersa est, exiguam aliquam partem præcidentes, ad suppetias ferendas vtimur. Fortes etiam purgationes fugiendæ sunt, propterea quòd vires à fortiter purgante medicamento dissoluuntur, eneruantúrq;. Quin etiam mediocres, & leues, maxima cum consideratione pensandæ sunt, ac quoad fieri possit, omittendæ. Orationis autem vis hæc est, omnis euacuatio nisi paulatim fiat, vires prosternit, & corporis habitum subitò valde digerit. Vnde à Galeno de venæ sectione aduersus Erasistratum dicebatur, Ingens prætereà in propinationibus pharmacorum periculum est, quum vel non commouetur purgatio, vel quod in aluum

gale. 2. in acut. 7. cl. 118. C

gale. 3. in 6. de mor. vul. 3. cla. 163. E

Gal. de ve. sec. aduer. Eras. 6. cl. 292. D

attractum eſt, non facilè excernitur, vel cum dolore, morſibus, torminibus, refrigeratione, pulſuum euaneſcentia, ac animi defectu exprimitur: quum vel corpus vehementer perturbatur, interímque paululum admodum euacuatur, aut euacuatio modum excedit. hoc enim ipſum tanquam videlicet omnium malorum extremum in hac parte frequenter contingere ſolet. Quapropter obſeruandum proponimus, vt quum aliqua euacuationem fieri expediat, non ilico exquiſitiſsima ſubminiſtretur omnino, ſed à debilioribus euacuantibus ad fortiora procedi debeat (niſi ipſe coegerit morbus) ſatius nanque tutiúſque eſt, multis minoribus vacuationibus pedetentim, iteratò educere, quàm vna duntaxat vacuatione vniuerſos humores euacuare, perueniréq; per eam ad terminum, quo exterreatur natura, vímque admodum patiatur. ſic quidem quodcunque reliquiarum relictum fuerit, naturalis facultas reſoluere ſolet. vnde id optimè dictum eſt, Plurimum, & repentè vacuare, vel replere, vel calefacere, vel refrigerare, ſiue quouis alio modo corpus mouere, periculoſum: quoniam omne nimis, eſt naturæ inimicum. Sed quod paulatim fit, tutum eſt. In quo ſerm

Hip. 2. aph. 51. ext. 19. H.

Gale. 1. aph. 3. ext. 3. H

sermone toto summa sententiæ hæc est, quòd neque euacuare, neque replere, supra modum oporteat. cuius rei documẽto esse potest bonus habitus athletarum, qui aliô-quin inculpabilis existens, vt qui in bonis abundet humoribus, & vires habeat robustas, hoc solum malum permaximum gerit, quòd ad extremam venit repletionem. quapropter eum statim soluere oportet. & sicuti rursus, qui sunt tali natura præditi, non sunt ad extremam euacuationem perducendi, sic & qui alia quauis egent euacuatione, non sunt supra modum euacuandi. A' multa siquidem, & subita tum repletione, tum euacuatione semper abstinuit Hippocrates. Neque enim natura patitur eas, quæ subitò fiunt alterationes. Et hæc quæ proposuimus, vt plurimùm vera sunt, vbi sibi inuicem consenserint indicationes, atque etiam nonnunquàm, quum dissenserint. Oportet nãque vbi indicationes ita sibi aduersantur, & paulatim quod vitiosum est euacuare, & paulatim inuicem quod salutare est, pro eo reponere. Nõ spernẽda verò indicatio est, & ea, quã sensus, partiũ acuitas, hebetudó-que suppeditãt. quando omne medicamen contemnunt, quæ tardi sunt sensus, etiã si nõ leuiter mordeant. at quę acuti sunt sen-

gale. 1. in acut. 7. cl. 112. E.

gal. 3. art. med. Isag. 70. A.

gal. 9. me tho. 7. cla. 59. H.

gal. 7. me tho. 7. cla. 49. H.

sus

ſus, eorum vires dolore reſoluũtur. Expedit igitur has nec confertim, nec ſemel, valentibus auxiliis mederi tentes, ſed toto potius in tempore. at vbi tardus eſt ſenſus, in his etiam celeriter obire, quod iuſtum eſt, licet ſemel vſis remedio, quod ſit idoneũ. Et iuxta omnia quæ prædiximus, pleræque tum Hippocratis, tum Galeni, tum Principis ſunt exercitationes, quas diligens perſpector & in citatis ſuprà, & in aliis eorum libris, adnotabit euidentiſsimé. Cæterùm conuenit vt planiſsimè obſeruentur, quæ à ſeniore optimo illo in libro de locis in homine ſcripta ſunt, vel veteris verſionis Calui in hoc præualeat ſenſus, vel nouæ interpretationis ex Cornario iudiciũ. Vetus nanque ſic habet, Medicorum in morbis nemo ſit, conſueuítve medicamentum niſi validum propinare, quo ſi leuetur conuertendi via, mutandíq; patefacta eſt, quæ eſt emaciare: ſi verò non leuetur, contraria peragunt, ſi emaciare non confert, perflammare contulerit, crebróque commutant. Tu verò mente hac in morbis vtitor, ſi quis languens validus, & robuſtus ſit, morbo iam debilitato medicamentum validum porrigito: quòd ſi quid ſanum ineſt, non lædet, contrà non validum, morbum, etiam ſi quid ſuſcitet. Quum verò

Hippo. de loc. in ho. vet. 499.

morb

morbum quidem validum, languentem non robuſtum nanciſcaris: medicamentis non validis rem dirigito, quæ morbũ ſenſim debilitent, & ſuperent, languentem nihil debilitent. At noua interpretatio ſic profert: Morbum ſi quis non cognoſcat, medicamentum bibendum præbeat non forte. ſi itaque leuior inde fiat, demonſtrata via eſt, qua gracilitatem inducendo curandum eſt. Si verò non leuior reddatur, ſed peius habeat, contraria facienda ſunt. ſi non profuerit gracilem facere, tumidum facere conducet, & frequenter permutare: ita vt hoc conſilio vtaris. Si quis in morbis quid permutaturus eſt forti quidem ægroto, debili autem morbo, tunc quidem confidenter fortiore quàm morbus eſt, medicamento vtendum eſt: nam etiam ſi quid de ſano abducat vnà cum debili, ac ægroto, nullum detrimentum eſt: Si verò morbum fortiorem, ægrotum autem debilem acceperis, debilibus pharmacis curabis, quæ ipſum morbum ſuperent, & abducant, verùm ægrotum nihilo debiliorem reddant. Hoc attamen diligentiſsimè perſpecto, quòd Nihil artem medicam coniecturalem efficit, vt cuiuſque remedij quantitas. etenim quum frequenter compertum habeamus tempus inſtare exhibendi

Nouę verſi. cornarij.

Ga. de curat. per ſang. miſ. 6. cla. 303. C.

di cibi,aut potus,eiúsq; aut calidi,aut frigidi,quantum tamen dandum sit certè haud nouimus. idem vsu venit in purgantibus medicinis. nam quòd laboranti præbendum sit medicamẽ aut bilem tum flauam, tum atram,aut pituitam, aut serosum excrementum euacuans, exactè nouimus: cæterùm quantum præberi debeat, nescimus. Atqui talis exhibitio corrigi posteà nequit, nam quod semel in ventre deuoratum est medicamentum, quo minus omne deuoratum sit,fieri non potest, neq; possibile est,vbi plus quàm conueniat iam purgetur homo,partem oblati auferre. Et quanuis huiuscemodi quantitatis exquisitæ methodus certa præfiniri non possit. (Neque enim fieri potest vt vniuscuiusque quantitas explicetur) in opere tamen ipso adinuenire,atque ostendere possumus, in qua sanè vix tota maximè consistit. nihil enim prodest qualitas, vbi quantitate labefactetur. Nempe alij difficulter natura purgantur,alij modico adsumpto medicamento purgantur copiosé. Quibus igitur dare quadrabit, his medicamenti tantum propina,quãtum in plurimis mediocriter vacuari tum nouisti, tum sis expertus. Si enim hominis naturam non noueris, metus est ne plus iusto vacues, vel

galen. de exer. par. pile. 2. cla. 47. E.

gale. 2. in acut. 7. cl. 118. B.

nullo

nullo pacto vacuationẽ moueas. aut si moueris, nõ tamen sufficienter vacues: quæ omnia magnas in morbis acutis pariũt offensas, quod nõ facilè in his, qui nõ febricitant, emẽdatur. Itaq; in huiusmodi quãtitatis electione curandũ est, vt quàm maximè fieri possit coindicantibus perpensis, ad curandæ naturæ proprietatẽ accedens, secernatur medicamentũ. Quippe discretiones in quaq; arte propriũ à cõmuni secernere conatur, quãtóq; plura quis discreuerit, limitaueritq;, eò propius ad proprietatẽ accedet, ipsum verò ad vnguẽ propriũ nec scribi omnino potest, nec dici. Et de his ad quæstionẽ propositã attinentibus satis. gal. 3. metho. 7. cla. 18. E.

Obiecta etiam quęcunque ex ante habitis planè sublata sunt (si illa diligenter spectentur) Generalis nanq; absolutionis illorũ omniũ hoc caput est, ante coctionẽ minimè purgãdũ esse, præcipuè fortibus, quibus prisci vtebantur medicamẽtis (nisi fortasse cogat res) Veruntamen quum aliquãtula coctio in materiæ parte constiterit, cũ leuibus educentibus, & etiam cum mediocribus vacuantibus, fieri posse non abnegauerim. Insuper & veteres, Græcos præsertim, purgationes non faciles habuisse, quoniam fortia exoluentia vt plurimum tractarent, veluti ita esse tum

pass-

paſsim eorum ſcriptiones commonſtrant, tum & Celſi Latinæ hæ, quas inter Græcas, Arabéſque, tot ſeries (veluti & ipſe priſcorum non incelebris) quibus itidem vt nos ſentit, his poſtremis non abſonet collocare, habet ſiquidem Secundo medicinalium libro, Deiectionem autem antiqui variis medicamentis, crebráque alui ductione, in omnibus ferè morbis moliebantur, dabántque aut nigrum veratrum, aut filiculam, aut ſquammam æris, quam λεπιδόχαλκον Græci vocant, aut lactucæ marinæ lac, cuius gutta pani adiecta, abunde purgat, aut lac vel aſininum, vel bubulum vel caprinum, eíque ſalis paululum adiiciebant, decoquebántque id, & ſublatis his quæ coierant, quod quaſi ſerum ſupererat bibere cogebant. Sed medicamenta ſtomachum ferè lædunt, ideóque omnibus catarcticis aloë miſcenda eſt. Aluus ſi vehementius fluit, aut ſæpius ducitur, hominem infirmat. ergo nunquàm in aduerſa valetudine medicamentum eius cauſa rectè datur, niſi vbi is morbus ſine febre eſt vt quum veratrum nigrum aut atra bile vexatis, aut cum triſtitia inſanientibus, aut his, quorum nerui parte aliqua reſoluti ſunt, datur. At vbi febres ſunt, ſatius eſt eius rei cauſa cibos, potionéſque aſſumere

Cor. Cel. libro 2. de deiectione.

mere: qui simul & alant, & ventrem molliant. Suntq; valetudinis genera, quibus ex lacte purgatio conuenit: Plerunque verò aluus potius ducẽda est, quod ab Asclepiade quoq; sic vituperatum, vt tamen seruatum sit, video plerunq; seculo nostro præteriri: est autem ea moderatio, qua is vtitur, aptissima, vt neque sæpe ea medicina tentetur, & tamẽ semel sumptum, aut bis, non omittatur: Atque & libri Tertij quarto capite, Antiqui medicamentis quibusdam datis concoctionem moliebantur, eò quòd cruditatem maximè horrebant, deinde eam materiam, quæ lædere videbatur ducendo sæpius aluũ subtrahebant. Asclepiades medicamenta sustulit, aluum non toties, sed ferè tamen in omni morbo subduxit, febre verò ipsa præcipuè se ad eius remedium vti professus est. conuellendas enim vires ægri putauit luce, vigilia, siti ingenti, sic vt ne os quidem primis diebus elui fineret: quo magis falluntur, qui per omnia iucundam eius disciplinam esse cõtendunt: & is enim vlterioribus quidẽ diebus cubantis etiam luxuriæ subscripsit, primis verò tortoris vicem exhibuit. Ego autẽ medicamẽtorũ dari potiones, & aluũ duci, nõ nisi rarò debere cõcedo: & id ideò nõ tamen agendum, vt ægri vires conuel-

Cor. cel. lib. 3. c. 4.

lantur existimo:quoniam ex imbecillitate summũ periculum est. Minui ergo tantùm materiam superantem oportet, quæ naturaliter digeritur, vbi nihil noui accedit.

Ex his deinceps particulatim descendẽtes ad singula nostræ intentioni obstacula summatim. Illis, qui nõ nisi post summum vigorem purgant, admittimus, quòd fortia illa laxatiua febres adaugeant, atque quòd ideò caueri debeant, sed non semper obmitti, quũ ob maius aliquod iuuamentum in furiosis concedantur: nam non ob igneam febris caliditatem, purgationem adhibemus, hanc enim scimus sui ratione nocituram, sed propter humores illã efficientes quare oportet maiorem ex noxiorum humorũ euacuatione fieri vtilitatem, quàm id quod necessariò consequitur ex purgantibus medicamentis detrimentum. Sed nõ concedimus lenientia medicamẽta admodum augere febrem, & etiã minuentia auxilia: nam (veluti dictum est) & in lenientibus & in minuẽtibus, & fortioribus medicinis, Deligenda à medico sunt ea, quæ citra calefactionem siccationémq; valentem, prædictas vacuationes præstent. Non admittimus etiam ex lenientibus, & minuentibus, nostris ita impediri coctiones, quũ fortes duntaxat corpus vehementer

Galen. 1. Apho. 24. Ext. 11. A.

Galen. 11. metho. 7. cla. 70. D.

ter mouentes frangant, lenientia autem leniunt,& minuentia mulcent,vel non nimis nocent,quibus maximè indigent,quæ cõcoquuntur. Neq; dicimus, quòd lenientia,& minuentia,incoctam educant materiam,sed coctam:scilicet vel quæ adhuc ab extraneis nõ tangitur causis, vel quæ paulatim concocta est.Quin si ab his quandoque eueniat, vt quippiam à cocto dissimile euacuetur, etiam non multum oberit. Etenim dissimiles quoque humores vnà cum iis quæ congruè euacuantur,exhaurire conuenit.Et demum ad fortiorum medicaminum vacuationes, consequi solummodo verenda, quæ citantur assentimus, nõ autem in aliis, quum ob correctionem quæ mistorum naturis aduenit, non assequantur: Consequenter etiã quæ adductæ sunt series,tolluntur, nam quũ tota cruda est materia in non turgentibus,libera non expellit natura, & proinde tunc nullum ab excretionibus prouenit emolumentũ, nisi ve profluens iuuat aluus, quoniam sic præter naturam sunt casus. Verùm quum aliqua adest coctio, & emolumentum ex rectè profluente consequitur aluo, & à natura prouenit vacuatio. In turgentibus autem cruda tota existente materia, coactam naturam, & medicum, regulariter

Gale. 2. in 6. de mor. vul. 3. cla. 154. G.

vacuare abundè etiam cõſcriptum eſt. Deinceps & raro, quod in Senis oraculo ponitur, iam explicatum eſt, videlicet, Quòd non in omnibus acutis, quorum multæ ſunt acceptiones, ſed in verè acutis, neque in his omnibus, ſed in acutis valde, neq; in illis omnibus adhuc, ſed in peracutis quũ vrgent, fortibus vtendum medicamentis, dum etiam tota cruda materia eſt. Quare quum raròvel mobilis vrgens, vel multa, vel peſsima, aut ad nobile repens membrũ, aut in nobili genita membro, furens reperiatur materia, recte profectò, id dictum eſt, Multa verò non turgent, atque in acutis paſsionibus raró. Prætereà, dictũ eſt id, & etiam in aliis temporibus, aliam ob cauſam, ſcilicet quoniam non pharmacum, ſed venæ ſectio, præcipuum earum eſt auxilium, quum ſucci illarum ad intra venas ſint. Id etiam (nonnunquam) quod ex Galeno obiectum eſt, non intelligimus vt quidam putant, ſcilicet vt à ſanguinis miſsione diminuit: ita quòd plerunq; conueniat venæ ſectio, purgatio autem raró. De cuius ſenſus veritate nunc perſcrutari dimittimus, ſed hoc modo accipiendum eſt, vt duo hæc maximè etiam in morborum initiis vſui adueniant, ſcilicet aliquando venæ ſectio, & aliquando purgatio,

Hippo. 1. Apho. 22. Sup. 24.

tio, alterutrum videlicet ſecũdum morborum exigentiam, adhibita diſtinctione, an mittere ſanguinem, an purgare oportet. Nam nonnunquam venæ ſectio præſtantiſsimum auxilium in morbis fuit. Sic vt quidam ex his qui aderant iugulaſſe me febrem per iocum dicerent. Nonnunquam & purgatio itidem operatur, quando nonnulli ſola purgatione per aluum vno die ſanatos vidiſti. Et ne diutius in manifeſta hac verſemur re, ſermonis ſententia iam explicata eſt. Quotquot nanq; ſcriptiones ante cõcoctionem vacuationes prohibent, quando tota materia cruda eſt, atq; de fortibus medicamẽtis intelliguntur. Et quotquot in principiis, & non procedente morbo, purgationes adhortantur, non ſimpliciter ita ſentire, ſed vel vt plurimùm, vel conſideratione virtutis, admitti habent. nam quum coindicantia cætera cum virtute conſentiunt, etiam aliis temporibus fieri conceduntur, vel conſimiliter etiam reſpectu materiæ quandoque. nam mobilis vacuationi obſequitur magis, fixa autem illi non cedit, vel de euacuatione quæ ad morbum reſpicit, aut & de cruda materia intelligantur. Et in horum ſumma quæcunque ab his qui non niſi exacta coctione vacuationem adhibent, diſſoluuntur.

Gale. ſup. 23.

Galen. 9. metho. 7. cla. 57. D.

Galen. 13. metho. 7. cla. 83. F.

tur. Insuper & illorum, qui euacuantium ante coctionem sectam colunt, obstacula dissoluentes, non assentimus, quòd semper euacuanda sit materia morbi, quando est rebellis: Neque admittimus post concoctionem quod benignum iam redditum est, vacuandum esse. nam vtrunque sublatum est ex Secundi de febrium differentiis

Gale. 2. de diffe. feb. 7. cl. 37. H.

illis, Semper enim suis natura viribus vtens quicquid optimum fieri contigerit, his quæ aluntur partibus assimilare, quicquid verò alienum conatur excernere. Neque etiam concedimus, quòd si in acutioribus ante coctionem admittatur vacuatio, quòd etiam in quietioribus magis cõueniat. Nam quanuis loci ratione admitti posset, scilicet quoniam in quietis interpolatis materia extra venas transmissa, faciliùs educatur pharmaco: non attamen simpliciter verum existit: Sed palam, quòd in acutissimis incoctæ materiæ euacuationem concedimus ob perniciei periculum, sed in quietioribus, quoniam earum finis est securus, abnegari. Insuper neque si concedamus illis, febrem minui si materia cessauerit, atque tunc optimè fieri purgationem, quando fortior est virtus, posteà admittendum est, Quòd in principiis, atque omnino inconcocta existẽte materia,

euacuandum fuerit. Nam ad hoc, vt ea recté agantur, in paſſo opportunam exiſtere diſpoſitionem neceſſe eſt, & illa diſpoſitio non niſi concoctæ materiæ adeſſe poteſt. Et vt vno cõſimilia complectamur ſermone, conſimilibus omnia eneruantur. Solummodo vt dicatur ſupereſt in propoſito, Quòd ſi quæ iterato, rurſúſque, in reſcribendis veterum ſententiis frequentata ſint (vt adueniſſe haud abnegamus) non peccato id adiici debeat: Sæpius enim quæ vtilia ſunt, repetere conuenit. Neque enim grauari debemus iterum, atque iterum ſermonem repetere, quo nunc ſaltem medicorum vulgus veram methodum condiſcat. Nam quæ maximè ſunt ad curationẽ neceſſaria, eadémque maximè ignorata, nec Hippocrates ipſe identidem repetere grauatur. Cæterùm adiiciatur, non conuenire vt fortè quiſpiam nos de alia verborum ſerie in Græcis codicibus exiſtente, conſequentérque de alio ſenſu, redarguat: ſed potius (ſi quod huiuſmodi peccatum acciderit) illis conuiciandum eſt, qui ad Latinas ſententias Græca tranſtulerunt exemplaria. Nos equidem Græca non profitemur locutione, ſed Latinis iam factis inſudamus verſionibus, & illis potiſsimũ præſtita fides eſt, quæ autoris mentem, &

Gale. 1. de criſ. 4. cl. 130. B.
Galen. 11. meth. 7. cla. 72. B.
Galen. 11. metho. 7. cla. 64. B.

veritatem potiorem continere visæ sunt. Quocirca in his satis illud esse debet, si vnà cum probabilitate & verum esse quod dicitur, & non repugnare sententiæ autoris videatur. Quamobrem, ô veritatis amator, si quid ex his quæ exposuimus, obscurum esse putas, inspice primùm diligenter, an erratum librum habeas, eúmque accuratè perpende, cúmque exemplaribus autoritatis alicuius confer: deinde si is rectè se habere videatur, eundem locum adhibito studio iterum, atque iterum perlege. Nam in his quæ obscurè scripta sunt, dandam mihi operam censeo, vt veritate rerum seruata, vetustam lectionē ei si fieri potest conuenire ostendam, si verò id præstari nequeat, veritatem saltem cognoscendam adolescētibus exhibeam, atq; autoris scripta prȩclarissimis viris potius concordem. (Quo addetur) quàm dissentientem reddam. Et in his absolutum negotium sit, Dei clementia, cui honor, & benedictio, sit per cuncta secula.

Gale. 3. de his quæ in med. fi. 7. cla. 212. F. Gale. 1. de fract. 7. cl. 218. H.

Gale. 3. de his, quȩ in med. fi. 7. cla. 215. F.

FINIS.

# INDEX COPIOSVS RERVM, VERBORVM, ET SENTENTIARVM

singulariũ in Tractatum de Tēporibus & modis rectè purgandi.

*Numerus prior sectionem, posterior paginam notat.*

A

Febr

Finis Indicis.

LVGDVNI,
Excudebat Iacobus Faure.

pbroh.

14f.
1712.

